EPITOME
INSTITUTIONUM
MEDICINAE THEORETICO-PRACTICAE
ACADEMICIS PRAELECTIONIBUS ACCOMODATA

MICHAËLIS GRIFFA

MEDICINAE THEORETICO-PRACTICAE PROFESSORIS

IN REGIO TAURINENSI ATHENAEO

Academiarum Berolinensis, Belgicae Lovanii, Lynceorum Romae, Ardentium Viterbiensis, Phisico-Chemicae, Georgicae, Technicae Parisiensis etc. Sodalis

---

PIREXIARUM ORDO TERTIUS

DE EXANTHEMATIBUS ACUTIS AC CHRONICIS

TAURINI MDCCCXXXIII

EXCUDEBAT IOSEPH FODRATTI

in via Archiepiscopati N.° 14.

AUDITORIBUS DILECTISSIMIS

MICHAËL GRIFFA

Plurima mutuatus ab egregio clinices medicae professore Chiesa, haec, vobis, trado medicinae theoretico-practicae lineamenta enchiridii in modum, quae aequi bonique vos excepturos, confido. Utiminor et valete.

PYREXIARUM ORDO TERTIUS

DE EXANTHEMATIBUS GENERATIM

I.

Quemadmodum cortex arboribus, sic communia universi corporis velamenta, humano corpori operimenta offerunt ejus conservationi, et elegantiae prospicientia.

Cutis vero, seu derma princeps cutanei systematis fundamentum nervis, arteriis, venis, vasis lymphaticis, et glandulis varii generis ditata, organum sistit *tactus* functionibusque *exhalationis*, et *absorptionis* praeest. Cutaneum porro systema quatuor stratis conflatur *corio* nempe, *textu papillari*, *rete mucoso*, et *epidermide*; singulae autem dermoidei systematis partes maximam inter se non tantum alunt sympathiam, sed et inter mucosas membranas, quarum haud valde absimilis compages est, et arctissimum cum singulis visceribus commercium alunt. Cutis igitur structura, extensio,

cum reliquis organis consensus, momentosa munia, quibus fungitur, potiores caussae sunt, ex quibus amplissima, et intricatissima morborum cutaneorum familia sobolescit. Tot autem morbi primarii sive protopathici, et secundarii sive deuteropathici quibus cutis patet cum plerisque pathologis in binos tribuuntur ordines, illos nempe qui acute decurrunt febrilibus turbis plerumque copulati *Exanthemata* dictos, qui secreti habentur a chronicis cutis vitiis aliis quae eius levitatem, nitorem, integritatem, et colorem foedant, quaeque *Impetigines, Cacodermata* ab aliis nuncupantur.

II.

Exanthema graecum nomen est, quod efflorescentiam significat a verbo ἐξανθέω, sive *effloresco* ductum. Hoc autem vocabulo non solum eruptiones indicantur supra cutim assurgentes eamque inaequalem reddentes, sed latiore sensu etiam illae, quae planae sunt, tactuque vix percipiendae; idcirco *stigmata*, *maculae*, *furfures*, *papulae*, *pustulae*, *phlyctenae*, *bullae*, *tubercula*, *squamae*, totidem sunt exanthematum formae; itaque exanthematis nomine pressim appellantur *eruptiones* sive ad externam cutis superficiem efflorentiae febriles, quae aut febrem excipiunt, aut hanc comitem habent, aut concitant. Eruptiones autem non febriles, quae plus minus cutem laedunt, deturpant, diuque persistunt, *Impetigines, Cacodermata* vocantur, quae alteram morborum cutaneorum classem constituunt.

Exanthemata autem ab impetiginibus sunt secernenda, non solum quod febribus plerumque socientur, sed ex eo maxime ab hisce postremis, quoad naturam, inces-

sum, phoenomena, distent: quandoque exanthemata quidem sua absque febre absolvunt stadia, ut variolae discretae, et benignissimae; alias interdum facta exanthematis eruptione, febris penitus desinit, ac perstat primarius morbus, et usque ad finem decurrit, ut in benignis variolis, aliisque exanthematibus obtingit; alias febris, quae post eruptionem cessaverat, revertitur, sicuti observare est variolosis pustulis benignis ad suppurationem vergentibus: ipsa interdum febris a primarii morbi exordio ad finem usque pergit, sed saepe constantem typum haud servat, ut in exanthematibus malignae indolis observatur: febris autem exanthematum comes, quoad typum, et indolem adeo varia est, ut plerumque ad aliquod peculiare genus redigi non possit; modo enim febris ortum habet ab exanthemate quod stimulo suo vividiorem in vasculari systemate reactionem excitat; modo durante febre quadam eruptio evolvitur, ea tamen ratione, ut ad eius essentiam haud pertineat quamvis ex ipsa febre prosiliat; modo arctissimus viget nexus febrem ipsam et exanthema, modo febris fortuito cum exanthemate sociatur tantum, vel ipsum excipit.

III.

Symptomata exanthematibus propria vel idiopathica, vel sympathica sunt. Praeter autem consueta opportunitatis phoenomena anorexiam, lassitudinem, morositatem exanthema erupturum praenuntiare solent peculiaris anxietas, pectoris oppressio cum irrequie, et anxietate, suspiria, febricula irritativa horripilationibus orsa, vel praesentis iam iam pyrexiae incrementum, calor fugax, et ingratus, siccitas cutis, sudores partiales, dolores

vagi rheumaticorum aemuli, digitorum torpor, sensus formicationis, ardoris, tensionis, puncturarum, pruritus, vel titillationis in diversis superficiei cutaneae locis, subinde convulsiones, leipothymiae, pulsuum irregularitas, quibus cunctis adhuc peculiaria accedunt pathemata singulis pene priva in primariis exanthematibus magis constantia.

Primaria autem exanthemata quaedam distincta emetiuntur stadia, quorum nonnulla ob singulares metamorphoses in ipsis contingentes, peculiaria nomina sortiuntur: 1.° Stadium *delitescentiae, incubationis*, *opportunitatis*, 2.° *Stadium febrile*, *ebullitionis*, *irritationis* unius, duorum, aut trium dierum. 3.° Stadium *eruptionis* tribus ad summum diebus absolutum. 4.° Stadium *floritionis* (acmes); in quibusdam periodus suppurationis, cum priore saepius confusum ex eo quod maturationem nonnulli flosculi iam sint adepti, aliis adhuc in evolutione versantibus. 5.° Stadium *deflorescentiae*, *exsiccationis*, *exarescentiae*, *desquamationis*, *decrementi:* singulorum autem stadiorum diversa est duratio, omnium vero simul sumtorum talis esse consuevit, ut febres exanthematicae septem, novem, aut bis septem dierum spatio suum emetiantur curriculum.

IV.

Cum exanthemata modo proprium, et essentialem, et primarium morbum constituant, modo febribus varii generis aliisque morbis superveniant, febriumque diversis stadiis, tempore mox fixo, mox incerto erumpant, hinc admodum utiles illorum partitiones ab *ortu*, *loco*, *forma*, *effectu*, *indole*, ductae.

Quoad ortum exanthemata omnium primo in *prima-*

ria, *protopathica* vel *essentialia* aliis *specifica*, et in *accidentalia* seu non *essentialia*, *secundaria*, vel *symptomatica* tribuuntur.

V.

Essentialia exanthemata pleraque a proprio, ac specifico contagio sobolescunt, quod in praedispositis morbum sui generis et specificum inducens, peculiarem febrim et sui generis excitat, cuius essentiale ac indivulsum symptoma sunt sine quo febris specifica felicem decursum absolvere nequit. Raro pluries per vitam hominem aggrediuntur: talia sunt *variola*, *varicella*, *vaccina*, *morbillus*, *scarlatina*, *petechiae*, *pestis*; accidentalia exanthemata proprio contagioso principio destituuntur, specificas febres haud agnoscunt, sed febribus variae indolis socia incedunt, imo ipsis essentialibus exanthematibus quasi *parasitica* adhaerescere, et pluries eumdem hominem in vita adoriri queunt, sistunt summe mutabilia febrium symptomata, quae in quavis febri adesse, vel abesse possunt, utpote ab accidentalibus seu adventitiis adiunctis pendentia; huius generis sunt *erysipelas*, *zona*, *urticaria*, *miliaria*, *aphtae*, *pemphigus*.

VI.

Cum exanthemata a phlogistica cutis irritatione manantia ex causis directe, ac cominus in cutem agentibus, vel e converso eminus sive per consensum aliorum organorum praesertim canalis cibarii inducantur, hinc orta in *idiopathica*, ac *sympathica* momentosa partitio; priora excitant caloricum intensius, sanctoriana cohibita perspiratio, aëris conditio diversa cutim laedens, sudor acer, sordes, atque multiplices stimuli cum dynamici, ~~mechanico~~ tum mechanico-chemici cutim immediate irri-

antes, rubefacientes, inflammantes. *Sympathica* vero producunt irritamenta eminus in cutem agentia ut plurimum in visceribus abdominalibus hospitantia, in hepate, utero, quam frequentissime autem in tubo intestinali qui cum communibus velamentis arctissimo nectitur foedere. Hinc gastrica, biliosa, verminosa primarum viarum cacochimia praesertim in febribus frequentia, et multifaria excitat exanthemata. Denique saepenumero exanthemata ex suppressa secretione, et excretione bilis, urinarum, catameniorum, ulcerum habitualium modo cum sympatico tum etiam plane symptomatico exurgunt.

VII.

Ad exanthematum autem genesim cum essentialium, tum adventitiorum quaedam exposcitur praedispositio gentilitia persaepe cum peculiari in cutaneas eruptiones pronitate, multo saepius adquisita, vel neglectu culturae cutis, vel e contra nimia sollicitudine in abstergendis sordibus, vel praegressis lymphaticis morbis; hinc universim aetas infantilis, sexus foemineus, compages cutis mollis, tenera, ac irritabilis, tempus aestivum, clima calidius, ac quaedam epidemicae constitutiones peculiarem ad exanthemata largiuntur dispositionem, qua posita facile interdum arte produci possunt, hinc orta in *spontanea*, ac *factitia* ipsorum distinctio, quorum priora causis proëgumenis haud vitandis, posteriora vero si potissimum specifica sint, contagii insitione; si accidentalia, ex praepostera therapia ac pravo regimine in febribus originem repetunt; sic omissa sordium gastricarum vacuatione, sub calido regimine, therapia stimulanti, ac diaphoretica, atque aëris ventilatione spreta, omnino artificialia in febribus parari possunt exanthe-

mata accidentalia, imo et ipsa essentialia mirum multiplicari, imminui aut et plane praecaveri sub opposito ac congruo regimine queunt.

VIII.

Quoad sedem et locum quem occupant exanthemata in *fixa*, et *vaga* diducta. Priora constantem sedem servant ubi erumpunt in cute, ibi persistunt; posteriora vero sedem saepius mutant, in confinia se extendunt, vel et pristinam sedem confestim, et repente deserunt et alienas partes praepropere invadunt. Distinguuntur porro *externa* seu cutanea, et *interna* quae pluries in tunicis cum communibus tegumentis compage valde similibus, et arctissimo foedere iunctis in faucibus, tubo aëreo, pharinge, ventriculo, intestinis observata fuere. Externa vero in diversis cutanei textus partibus sedem figunt et praesertim in reticulo mucoso, vel in vasculoso aut in ipsa corii substantia papillari, vel in systemate capillari.

IX.

Licet nulla morborum species tot anomaliis pateat, ac proteiformis se sistat quam illa exanthematum, unde immanis auctorum omnis aevi in horum accurata tradenda nosographia, in notis cuiuslibet speciei privis assignandis, dissensus, nihilo tamen secius ratione habita formae principis exanthemata a nosologis in *glabra*, et *scabra* et *posteriora* pro aspredinum diversitate iterum varie partita fuere: hinc in *maculosa*, *papulosa*, *phlyctaenosa*, *vesiculosa* et *pustulosa*. *Crustosa* vero, *squamosa*, *tuberculosa* forma magis propria est exanthematibus chronicis, seu impetiginibus.

X.

Maculosa exanthemata ea dicuntur quae ultra cutis superficiem non eminent, aut non nisi levissime, et aequabiliter prominent ita ut non tactu, sed solo visu distingui patiantur, cutis dumtaxat decolorationem offerentia. Huc spectant *Erysipelas*, *zona simplex*, *urticariae* species eiusque varietates, ceu *purpura*, *roseola*, et ipsa *rubeola* auctorum, *scarlatina*, *petechiae*. Papulosa exanthemata constituuntur nodulis minimis numerosis vix visu sed subtiliori tactu distinguendis rubris non quidem inflammatis, nec suppurantibus apice tamen aliquid humidi excernentibus. Dum marcescunt in furfures epidermis abit: huc referunt *urticariam*, quae tamen alias maculosa, alias etiam vesiculosa se sistit, *morbillos*, *varicellam*; cum autem *phlyctaenae* non sint nisi papulae aut protuberantiae in cuti exiguae, pellucido apice, repletae humore, quo erupto exsiccantur, hinc papulosa exanthemata alioquin ex apice plerumque exsudantia, facile in decursu abeunt in phlyctaenosa; sed speciatim ad phlyctaenosa exanthemata pertinent *miliaria* quam nonnulli in rubra, et alba herciscuntur, *scarlatina miliformis* Frank, *eczema febrile*, *zoster*, seu *zona*. Cum autem vesicula dicatur insignior quam in phlyctaenis, ac hemisphaerica epidermidis prominentia ex collecto seroso, dymphatico, aut puriformi humore, quae si maius obtineat volumen *bullae* nomine insignitur, hinc vesiculosis; ac bullosis exanthematibus accensentur *pemphigus*, *aphtae*, *vaccina*, *carbunculus*, *anthrax* pestis individuus comes.

Cum autem pustulae pressim vocentur protuberantiae in cuti exiguae, rubrae, durae, apice suppurantes,

quae ruptae evacuato pure in crustas abeunt quibus delapsis cicatricula superest eo maior, quo plus substantia suppuratione fuit absumpta; hisce accensentur propterea *variola legitima*, *vaccina notha* nec non *varioloides* sic dicta.

XI.

Quoad effectum exanthemata in *symptomatica* ac *critica* diducitur. Exanthemata symptomatica quemadmodum communia, et accidentalia quaevis sine levamine erumpunt, noxas tamen raro ferunt; quae vero in febribus ad crisim vergentibus erumpunt easque iudicant, aut levant *critica* dicuntur.

XII.

Non minus momentosa est exanthematum in *benigna*, et *maligna* partitio utpote illorum ingenium ac indolem revelans; benignitas autem aut malignitas non e generalibus tantum, sed ex peculiaribus veluti propriis signis eruitur, scilicet a febris indole, a pathematum natura, discrimine, eruptionis modo, caeteris, in qua tamen decernenda maxima prudentia opus.

Exanthemata quae symptomata proferunt, ordine, numero, proportione respondentia ac sua stadia persolvunt *legitima*, *regularia*, *ordinata dicuntur*; quae in horum aliquo insigniter recedunt *irregularia*, *anomala notha* appellantur; quemadmodum ab eorum numero in *discreta*, *conferta*, et *confluentia* dispertita, perinde ac minori vel maiori frequentia multatorum in *sporadica*, *endemica*, et *epidemica* diducta, non secus ac in *simplicia* ac *complicata* distincta ipsa fuere.

XIII.

Exanthematum terminatio varia prorsus: eorum non-

nulla evanescendo desinunt, non nulla vero plane fugacia, ac indolis suberysipelaceae evanescunt e cuti in aegri detrimentum, aliisque saepe nobilioribus organis per metaschematismum insidias struunt; ad encephalon versa, convulsiones, coma, delirium; ad pectus peripneumoniam; ad abdomen enteritides producunt aut etiam regressu suo conditioni virium dynamico modo infensa fiunt; multo frequentius tamen inverso modo ex virium graviori laesione, praesertim languore, recedunt, aut marcescunt: alia denique constanter persistunt, atque processum suum morbosum absolvunt, vel in suppurationem, vel et exsiccationem desinentia, uti variola legitima, vel in indurationem partium cutis inflammatarum, uti variola anomala, vel in gangraenam sicuti carbo pestilentialis, vel directe in sphacelum, uti petechiae, vel feliciori eventu in epidermidis defurfurationem, aut desquammationem uti miliaria, demum etiam in aedema textus cutanei, atque universim in diversas laesiones cutaneae functionis sive excernentis, sive absorbentis abeunt, quas deinceps secundaria mala numero plurima ulcerationes nempe, phymata, serpigines, herpetes, achores aliaque cacodermatum genera excipiunt.

XIV.

Generalis exanthematum potissimum essentialium prognosis ex ipsorum natura, ex regulari nempe, vel irregulari incessu et typo, ex simplici vel complexa, benigna vel maligna indole, potissimum eruitur.

XV.

Quoad generalem exanthematum therapeiam apposite Burserius inquit: *Quae denium cuique exanthematum*

generi singulisque eorum periodis conveniat curatio in universum decerni vix potest: therapeia autem specialis exanthematum in febrem quae illa fovet est dirigenda, ratione praepollentis ipsius indolis, causarumque habita: quamobrem si phlogistica sit conditio, antiphlogistica exposcit auxilia; sub gastrica cachochilia praesertim si exanthema ex irritamento primarum viarum exortum sit, evacuantia conducunt; sub virium denique pathologica infirmitate excitantia utilia erunt, quae propterea non indiscriminatim usurpanda. Symptomatica vero curatio ipsum exanthema directe respiciens si quae urgentius requiritur, sub essentialibus, ac specificis exanthematibus peculiaris esse debet, atque propriae, et specificae indoli exanthematis accommodata.

Praecipua autem curationis momenta ex diaetetico potissimum fonte eruenda. Praeprimis autem omne repentinum refrigerium caute vitandum; temperies aëris moderata et aequabilis concilianda, aëre ceteroque puro et apte renovato; potus si non calidus, tepens saltem aut egelidus exhibendus.

Localibus autem ad cutem auxiliis generatim vix opus est: sat erit munditiem sollicite servare sub cauta linteorum mutatione. Balnea sive frigida, sive calida, anceps sistunt in febribus exanthematicis praesidium. Universim gravate ferunt humidum febrilia exanthemata; in specialibus vero casibus, tamen localis curatio interdum requiritur, sicuti in speciali therapeia tradetur.

Quod si praemature marcescant, aut plane, et inopinato repellantur exanthemata in febribus, aliis, et gravioribus inde symptomatibus obortis, ad recessus

causas attendendum, cui propterea omnis dirigenda curatio, quae evanidum exanthema ad cutim iterum valeat evocare. Raro quidem nimius vitalis turgor, ac virium organicarum inde oppressio in causa est exanthematum languide florentium; potest tamen contingere quod antiphlogisticus apparatus, imo ipsa phlebotomia generalis, et topica ad eruptionem pervocandam indicentur. Multo frequentius autem ex virium vitalium collapsu, imo maligna illarum, ac repentina deiectione retrocessus exanthematum pendet; tunc apposite stimulantibus, excitantibus, sub calido regimine ac externo usu epispasticorum erunt revocanda, unaque obsessa metaschematismo organa ab incongruo stimulo quam ocissime eximenda.

DE EXANTHEMATIBUS SINGILLATIM

DE ERYSIPELATE.

I.

Erysipelas (1) summae cutis eiusque propaginum phlogosis, describente Cullen, est « Synocha duorum, vel « trium dierum, plerumque cum somnolentia, saepe « cum delirio : in aliqua cutis parte, saepius in facie « erythema ». Illud autem proprium eius est, ut digitorum pressio album vestigium relinquat, pristinus vero rubor, ablata pressione, restituatur.

II.

Distingui solet, 1.º in *verum*, et *spurium*: 2.º in *fixum*, et *ambulans*: 3.º in *simplex*, et *complicatum*: 4.º in *levigatum*, et *inaequale*: 5.º in *benignum*, et *malignum*: 6.º in *protopathicum*, seu *primarium*, quod alii *idiopathicum*, seu *essentiale* vocant, *fortuitum*, seu *accidentale*, ac demum in *secundarium*, *sympathicum* et *symptomaticum*. Erysipelas dicitur verum, quum propriis characteribus, quos superius descripsimus, insignitur. Spurium, sive nothum est, cum ab iis desciscit. Non una autem desciscit ratione; hinc varia et nomina habuit. Interdum cutis valde tumet, ac tenditur, nec a pressione albicat et appellatur *phlegmonoideum*, alias molle est, non renititur, a pressione fo-

(1) *Ab eryo, traho, pelas, prope.*

veam exhibet, et vocatur *oedematosum*: alias denique quamdam veluti duritiem offert, et nuncupatur a PLATNERO *scirrhosum*: si eumdem semper locum occupet, *fixum* dicitur; secus si huc illuc evagetur, *ambulans*, *metastaticum* audit: *miliare*, *phlictaenoideum*, *pustulosum*, si miliaribus, phlictaenis, aut pustulis stipatur: hoc autem frequentius in thoracis, et abdominis lateribus quamdam alens cum herpete miliari similitudinem circinatum apparet, et *zona*, vel *zoster* solet vocari. Quum nullo gravi symptomate stipatur, nominatur *simplex*, contra si alicubi livescat, aut gangraena corripiatur, *complicatum* dicitur; at alii aequiori iure illud *benignum* appellant, hoc autem *malignum*. *Protopathicum* sine ullo morbo praegresso efflorescit. *Fortuitum* a manifesta, et exteriori caussa excitatur. Si ab aliis morbis sobolescat, *secundarium*: si iis superaccedat, *symptomaticum* dicitur. *Sympathicum* audit seu *consensuale* quod ex alius organi ad cutem propagata irritatione promanat, ceu gastricum.

III.

Protopathicum, benignumque erysipelas sequentibus symptomatibus stipatur. Initio exiguus, et valde circumscriptus rubor est, levis tensio, pruritus aliquis. In augmento rubor crescit, propagatur: calor, tensio, dolor augescunt. In statu haec perstant: cutis exiguis saepe tuberculis exasperatur. In decremento rubor evanescit, cutis subsidit, epidermis vero frustulatim secedit, nisi forte, quod aliquando contingit, suppuratio excitetur. Interdum vix febricitare videtur aeger; at quando febris viget, haec modo ruborem antecedit, modo comitatur, modo subsequitur. Protopathicum

utplurimum antecedit: fortuitum, et symptomaticum sequitur. Ubi autem praecedit, sic progredi consuevit. Horror subito invadit, et ad aliquot horas perdurat: pulsus exiguus, frequens, contractus tangitur: lassitudo, ponderis sensatio ad epigastrium persentitur: nausea, vomituritio accedunt. Paullatim horror conquiescit: ingens calor succedit: facies rubet; sitis intensa: spirandi labor: somnolentia: pulsus durus, validus, frequens: altera die erumpit rubor in aliqua parte; febris tunc defervescit, ac omnia symptomata levantur.

IV.

Si erysipelas sit gravius, et inflammatorium, febris est vehementior: observatur non raro delirium, et cutis valide renitens, et omnia, quae gravem synocham solent comitari. Ubi vero malignum fuerit, febris typhi speciem induit; non igitur est cur singillatim symptomata describamus.

V.

Quaevis corporis pars potest erysipelate corripi; at prae caeteris caput, collum, brachia, et crura. Ubi affectio caput obsidet, rubor primum apparet ad nasi latus: mox frontem, palpebras, faciem, capillitium, et collum saepe peragrat. Quandoque in facie coërcetur, nec ultra frontem progreditur. Si erysipelas artus inferiores occupet, inguinales glandulae leviter dolent, ac tument: axillares contra, si superiores obsideat.

VI.

Sedes porro erysipelatis in ipso cutis textu primitus est, etsi ad subterpositum cellulare textum extendi etiam queat. Quapropter cutis propagines erysipelati obnoxiae sunt.

VII.

Caussae remotae erysipelatis protopathici permultae sunt: praecipuae tamen existimantur insolatus, subitae aëris vices, transpirationis suppressio, consueta evacuationum feriatio, fricationes asperiores, insectorum morsus, vel et alia quaevis ad cutem irritatio. Symptomatici caussa frequentior est saburra gastrica. Acrem biliosum humorem pro erysipelatis caussa statuerunt iam Veteres pene omnes. Nec adeo culpandi.

VIII.

Quum erysipelas haud penitus plegmasiarum more incedat, sed sua stadia emetiatur, et desquamata epidermide resolvi soleat, potiori iure ad exanthematum naturam spectare censemus. Caussa vero proxima est peculiaris, et sui generis cutis phlogosis.

IX.

Erysipelas benignum omni periculo vacat. Phlegmoideum non adeo contemnendum. Quod cum nervosa febri sociatur, pessimum. HIPPOCRATES de erysipelate sequentes dedit aphorismos: « Ab erysipelate putredo, « aut suppuratio, malum. Erysipelas ab exterioribus « verti ad interiora non est bonum; ab interioribus « vero ad exteriora bonum ». Sane erysipelas repercussum plerumque grave facessit negotium.

X.

Varia curatio. Quaerendum primum, num sit protopathicum, an symptomaticum, an sympathicum. Si alterius morbi symptoma fuerit, occurrendum est morbo primario: si adsint saburrae gastricae indicia, emetica prosunt vel cathartica antiphlogistica: saepe imo cito abit phlogosis. Nos itaque nunc dicemus de erysipelate protopathico.

XI.

Protopathicum erysipelas phlogistica comitatur diathesis. Quamobrem apposita methodo curandum. Si omnia significent vitae vires esse adauctas, methodus antiphlogistica est opportuna. Nec tamen semper venae sectio necessaria aestimanda. Erysipelas benignum solius naturae ope sanatur. At vero si febris exandescat, et pulsus sint magni, validi, duri, et caput acrius doleat, et spiritus sit difficilis, venae sectione morbo occurrendum. Quod si symptomata postmodum non mitigentur, phlebotomiam iterare profuerit. Instituta, si adiuncta postulaverint, phlebotomia, praescribenda sunt blanda diapnoica, puta infusum florum sambuci, papaveris aut tiliae. Alvus servetur aperta, quod emollientibus clysmatibus obtinebitur, vel blandis antiphlogisticis catharticis.

XII.

Topica externa nonnulli proponunt: alii laudant acetum aqua remixtum: alii acetatem plumbi dilutum: alii farinam ex secali inspersam. Topicorum admotionem non penitus improbamus. Tametsi plerumque non sint necessaria, tunc tamen convenire posse videntur, ubi erysipelas vehementius est, et ad phlegmonem accedit. Illud praesertim curandum, ut nimis ab aëris frigidioris attactu praecaveatur.

XIII.

Si cutis valde tendatur, iuvat confugere ad emollientia. Tumor phlegmonoideus manifesta collecti puris exhibens indicia, aperiendus; mox ad ea transeundum remedia, quae in caeteris suppurationis casibus indicantur.

XIV.

Maligni curatio vix abludit ab ea, quae laudatur in malignis inflammationibus, cautius propterea in hoc ipso antiphlogistica usurpanda. Quandoque miliaria, petechiae cum maligno erysipelate consociantur: oportet itaque ea praescribere, quae in hisce affectionibus commendantur.

XV.

Qui erysipelas semel superarunt, facile in morbum ob occasionalium caussarum influxum relabuntur. Ad prophylaxim caussae evitandae. Praesertim autem iuvat, adventante vere, victu uti vegetabili, et vinum aqua dilutum potare, tepida balnea suscipere, ac discrasiae praedominandi opportunis remediis obviam ire, nec non diligentem conferre operam, ut libera servetur cutanea perspiratio.

DE ZONA

I.

Quamvis ceu erysipelatis varietas a quampluribus consideretur, ab aliis ad herpetem referatur pustulosa cutis affectio, quae *Zona*, vel *Zoster* atque a Cullenio *erysipelas phlyctaenodes*, a Sauvagesio *erysipelas zoster*, *herpes zoster*, *Zona repens*, *Zona serpiginosa*, *Zona volatica*, *circinus passim* dicitur, quamque etiam *ignis S. Antonii*, *ignis sacri*, *ignis sylvestris* nomine indigitatam legimus; peculiaribus tamen notis distinguitur, ita ut seorsim considerari mereatur, quemadmodum Burserius, Pinelius, aliique praestiterunt.

II.

Venit itaque *Zonae* nomine eruptio pustularum, quae in racemos dispositae sedent in cutis area rubicunda, et corporis alterutrum latus, ad quatuor, aut quinque circiter transversorum digitorum mensuram cinguli instar ita ambiunt, ut in abdomine anterius lineam albam, posterius spinam, in thorace hinc medietatem sterni, illinc spinam, pariter non transgrediantur. Si vero in aliis locis manifestatur, ut in collo, facie, coxis, quod etiam adnotatum fuit, alterum latus tantum eodem modo occupare consuevit.

III.

Febris plus minus intensa perfrigeratione, aut horrore notata, alias vomitu, vigiliis, spasmis accedentibus, eruptionem praecedit, quae, hac facta, plerumque mitescit, aut cedit. Cum vero febris abest, quod rarum est, aegri tamen male se habere, et de molestis puncturis conqueruntur, ac de acri pruritu eo in loco ubi erupturae sunt pustulae.

IV.

Interim pustulae parvae, rubrae in ambitu inflammatae, variolas interdum ab initio æmulantes, raro discretae, generatim racemosae adinstar phlyctaenarum erumpunt cum doloribus lancinantibus, et instar ignis urentes, sibi enim videntur aegrotantes a totidem ignitis aciculis vellicari, ac pungi: sensim hinc elevatae pustulae, et mole auctae abeunt in acuminatas vesiculas repletas aqua primum pellucida, mox opaca, ac turbida, nunc sanguinolenta: Vesiculae huiusmodi ruptae, aut complanatae fuscum atrum colorem brevi aquirunt in escharas hinc commutatae, quae in crustas siccas, duras abeunt, successive deciduas, suique vestigium in cute diu relinquentes, alias vero in suppurationem transeuntes ulcusculis plus minus perdurantibus in ipsa cute relictis. Saepissime, exsiccatis pustulis, deciduis crustis, ac desquamata epidermide, dolor adhuc, ac molestus ardoris sensus affectam partem per aliquod tempus vexat.

V.

Hoc exanthema, quod nunc mitius, nunc vehementius torquet, modo idiopathicum esse, modo symptomaticum, a gastrico bilioso fomite produci, modo etiam criticam sistere affectionem testantur clinicorum observata.

VI.

In cutis textu, et subterposita cellulosa sedem habet Zona, et ab iis caussis producitur, quae aut extus admotae, aut intus genitae, cutim ipsam irritare, lacessere, aut caustici adinstar afficere sunt potis. Hinc, consensu per nervosum systema propagato, facile est concipere cur ex hac affectione totius corporis oeconomia perturbari queat, et multiplicibus functionum turbis originem praebere.

Quare qui acribus, salitis, et aromatibus praetermodum conditis alimentis indulgent, qui vini, et spirituosorum potu abutuntur, qui cutis munditiei, et perspirationi cutaneae servandae non student, huic morbo facilius patent, imo ex hoc reconvalescentes a memoratarum caussarum actione, brevi iterum acri pruritu, ac dolore correpti memorantur.

Haud tamen dixeris cur alterutram tantum corporis partem constanter teneat exanthema, qua in re ab erysipelate non secus, ac ab herpete iam discriminatur.

VII.

Longior rursus est quam in erysipelate Zonae duratio; Ad triginta siquidem usque interdum, et ultra dies extenditur. Ceterum morbus est, etsi aliquando molestis stipatus, ac contumacibus symptomatibus, periculi tamen expers, nisi praepostere tractatus, aut aliis complicatus morbis, vel si infaustam ad interiora metastasim experiatur, aut quapiam labe infectum corpus adoriatur.

VIII.

Zona cum *miliaribus*, cum *bullis*, cum *erysipelate*, cum *eczemate* potissimum *mercuriali*, seu *hydrargiria* et *herpete* nullo negotio confundi patitur, a quibus tamen nonnullis discrepat notis.

IX.

Sudores eruptionem miliarium praecedunt, qui vix ullus Zonae eruptionem praegreditur. Pruritus neque semper constanter miliaria praenuntiat; ardor vero non solum Zonae eruptionem nuntiat, sed ipsam comitatur; miliaria certis corporis limitibus circumscribuntur: unum tantum partis affectae latus ambit Zona. Exanthema ambulans est miliaris, fixum Zona.

A bullis vero distinguere Zonam licebit hisce notis: Dolor urens eruptionem bullarum praecedit, qua facta mitescit, dum ipsum per totum Zonae curriculum perstat aequalis: maxima bullarum pars maturitatem adeptarum magnitudinem amygdalarum attingit, dum in Zona phlyctaenae nisi plurimae invicem confluant, nunquam pisi volumen superant, saepeque minores sunt: serum in bullis contentum diaphanum et insons observatur, quod in Zonae phlyctaenis turbidum, et acre est. Limites minime agnoscunt bullae: ad unum dumtaxat latus circumscribitur Zona.

X.

Ab erysipelate vero pustuloso disterminare Zonam fas erit, si roseus in priore cutis color; phlyctaenarum in altera vix mutatus spectetur. Pustulae seriusquam rubor comparent in erysipelate: Phlyctaenae Zonae initium constituunt: pustularum sedes superficialis in illo, profunda phlyctaenarum sedes in altera: facta eruptione erysipelatis ardor remittit, qui pergit in Zona noctu intolerabiles cruciatus excitans: diffusum primum, volubile, circumscriptum, et fixum alterum. Eczema potissimum mercuriale sub forma pustularum erumpens, utpote summe pruriens, et anxietate stipatum, pro Zona haberi posset,

nisi eczema totam quam aggreditur partem, Zona tantum medietatem detineret. Ab herpete item distingui patitur, quod ipsum sub specie cinguli non prodeat, ut Zona. herpeticae pustulae minores sunt, minusque dolentes et inflammatae, sique herpes exedens sit ulcera praesefert depascentia, et diuturna: Zona e converso plerumque acutus, brevisque morbus est.

XI.

De Zonae curatione vix aliqua addere praestat, si ea recolantur, quae de erysipelate tradita sunt; cum hoc enim indicationes diuturnitatis maioris ratione habita, praeter propter conveniunt; Prout ergo idiopathicus est, aut symptomaticus hic morbus, eo spectare debent medentium sollicitudines, ut si nimium adauctae sint vires, temperentur, caussarum, quibus fovetur, morbique, cui adiungitur, aut supervenit, ratio habeatur, seduloque caveatur, ne repellentibus ad interiora cum discrimine trahatur.

XII.

Hinc victus blandus, demulcens, temperans, viribus aegri adcommodatus, eiusque generis potus, fotus ex decoctionibus emollientibus, si nimia vexet cutis tensio, servata alvi libertas clysteribus, ac lenibus eccoproticis, Paregorica, si inquietudo, aut vigiliae vexent, ea sunt generatim, quae curationem absolvunt. Caute interim cum pinguibus, oleosis, aut saturninis extus admotis mercandum. Raro, nisi peculiaria, ac vehementia accedant adiuncta, venae sectio est necessaria. Facilior conceditur locus, iam notante Burserio hirudinum, aut cucurbitularum altius incisarum applicationi, ad exitum stagnanti, irritantique humori parandum, nervorumque distentionem

arcendam, quod sine noxa et cum levamine se ipsum tentasse cl. idem Clinicus refert.

XIII.

Quum vero a gastrico bilioso fomite sustineri manifesta docent signa, emeticorum administrationi etiam iteratae parcendum non est. Rursus cutaneae perspirationis libertati blandis diaphnoïcis pro re nata praescriptis nunquam non est prospiciendum.

XIV.

Quod si supersint ulcera, appositum abstergentium, hinc epuloticorum remediorum usum exposcunt; sicuti etiam sedulo attendendum, utrum fortasse aliquis sit gangraenae metus, quo quidem in casu ad tonica, antiseptica confugiendum esse sat patet fatiscentibus viribus.

XV.

Demum devicto prorsus morbo, apto indulgeat oportet aeger regimini, ne, ut facile contingit, recidivam patiatur. Quare ab acrium, ac spirituosorum caveat aut temperet usu: atmospherae iniurias devitet: munditiei cutis prospiciat: sensibiliores factas partes affectas a rudiori perfricatione, scalptu, acrium contactu tutetur, eaque omnia fugiat, quae directe, aut indirecte morbo ansam praebuisse compertum habuit, hygienes praeceptis ac medici consiliis patienter, ac prout opus, constanter obtemperans.

DE URTICARIA

I.

Infantibus multo quam adultis frequentius exanthema constituit Urticaria, vel urticata febris ideo dicta, quod maculas prominentes rubras, plus minus elevatas, amplas exhibeat valde prurientes, et ardentes in facie, collo, aliisque partibus tubercula aemulantes, qualia in cute ab urticarum attactu, aut fustigatione excitantur: *exanthema urticatum* a Burserio, *Purpura urticata* a Iunkero, *Cnidosis, febris rubra, pruriginosa* passim ab aliis appellatur.

II.

Horror, lassitudo, perfrigerationes, anxietas, nausea vomituritiones nonnunquam, aut alvi profluvium febrem praecedunt de ephemerae simplicis, vel extensae charactere, prodeunte hinc serius ocius, generatim vero nycthemeri spatio, eruptione, quae id habet peculiare, ut versus vespera cum febris exacerbatione magis se prodat, subsideat, aut etiam dispareat reliquis horis interdum, et generatim sub frigida magis emergat temperie, quam sub calente.

III.

Prout hocce exanthema in sua origine *primarium* et *idiopathicum*, vel quod crebius contingit, *secundarium*, et *symptomaticum* fuerit, febriles turbae nunc praeeunt, nunc sequuntur eruptionem, quae inordinate, praevio plurimo pruritu, in diversis comparet ambitus locis, inprimis ad faciem, pectus et artus, interdum supra totum corpus non secus ac si a culicibus homo demorsus, vel urticis caesus esset.

IV.

Rursus non semper regulari observatur hoc exanthema incedere norma: siquidem etsi aliquando eruptio per duos, aut tres dies perstet, donec ex integro evanescat, desquamatione succedente: alias tamen non una eruptione absolvitur, sed pluribus vicibus per intervalla peragitur.

V.

Addendum, urticariam aliquando in cutis propagines protendi, rubore, ardore, pruritu in interna oris superficie, et faucibus accedente, tussi etiam excitata, alias dolorifico in deglutiendo sensu oborto, ipsamque urethrae membranam phlogosi inde etiam tactam, ac dysuriam exortam animadversam fuisse.

VI.

Urticaria apyretica, quae iterata eruptione chronicum refert morbum, teste Heberden, per hebdomadam, immo menses excurrentem, ab Urticaria acuta sola febris absentia differt; eamdem enim offert formam, easdem parit molestias, ac ab iisdem promanat caussis; quapropter illam parum firmo fundamento *Urticationis* sub nomine, ceu distinctam speciem habet I. Frank. Idem propemodum affirmandum de *Lichene Urticato*, et *purpura Urticante* Willan, quae nonnisi simplices Urticariae anomalias, ac modos sistere videntur.

VII.

Rariorem Urticariae varietatem, quae tamen demta phymatum maiori amplitudine, et morbi vehementia nihil sibi privum habet, quo a communi Urticaria differat, Frank nomine *Tuberosae*, describit. Emicant scilicet tumores palmae latitudinem habentes colore rubro, sed obscuro instructi, qui cum pruritu ad animi deli-

quium usque intolerabili universam corporis, sed foemorum inprimis superficiem occupant, comite faucium rubore, ac febri valida, horroribus orsa, sub cuius decursu erumpentia exanthemata brevi in latas, et ferme informes offas increscunt, per vices imminuuntur, evanescunt, ac denuo revertuntur, donec septimo die omnis dispareat aegritudo.

VIII.

Quoad formam externam Urticaria maximam alit adfinitatem cum morbillis; differt vero ardente pruritu, eruptione intra nycthemerum facta, quin tamen constantem in sua eruptione normam servet, atque absentia signorum pathognomonicorum, quae morbillis, ceu morbo contagioso sui generis competunt, inferius percensenda.

IX.

Urticariae characteres, indoles, decursus eius generis sunt, ut a rubris miliaribus, a scarlatina, ab erysipelate nullo negotio distinguantur. Affectionem vero sistit Urticaria, quae etsi non levem interdum inducat molestiam, inquietudine, iactatione, pruritu, vel potius urentis puncturae sensu intolerabili excitato, nec non aliis adiunctorum ratione, auctis incommodis, levis, nec, consentientibus Clinicis, periculosa est, ni gravis in regimine accedat error.

X.

Praecipua Urticariae sedes est in rete vasculorum exhalantium superficiali nec non in papillarum nervearum irritatione, quam a peculiari perspirabilis cutanei vitio induci, si idiopatica, et primaria sit Urticaria, a calore aestivo, a sudoribus profusis, ab acribus substantiis, vel irritamentis provocari non immerito opinantur quam-

plurimi, nec minus a vero alienum est, ipsam plerumque symptoma febrium gastricarum, biliosarum, intermittentium, typhosarum, ipsiusque arthritidis esse: Critica interdum animadversa. Utrum autem peculiare sui generis contagium pro caussa queat incusari, merito dubitatur, dum de contagiosa huius exanthematis indole non sat constat: Epidemice aliquando grassari Urticariam observationes testantur. Sunt demum qui referant, ipsam exortam fuisse ab esu *astacorum*, *ostrearum*, *mytilorum*, *echinorum*, *cancrorum*, *corruptorum piscium*, *vel muria acriore conditorum*, uti *halucum*. Essentiam vero Urticariae in activae congestionis statu consistere evincit, sedes instabilis, fugax eruptionis saepe ephemerae per vices evanescentis indoles, facilisque sine producti morbosi reliquiis solutio.

XI.

In Urticariae curatione attendendum in primis, utrum nimis adacutus cordis, arteriarumque motus, vigens aetas, temperamentum, plethora, et caussae praegressae venae sectionem expostulent. Secus ipsi vix locus est: benigna enim exanthematis indoles ex solis naturae viribus curationem generatim auspicatur, apto tamen servato regimine, quod in quiete, diaeta, potubus diluentibus, temperantibus, antiphlogisticis, et temperato circumambientis aëris caloris gradu servato fere consistit.

XII.

Haud tamen praetereunda contemplatio coniunctorum nonnullorum opportuna exposcentium auxilia; ita ferians cutanea perspiratio lenia diaphoretica, exaestuans calor, ac vehemens sitis acidulatas, nitratas, potiones exposcit: tussis molesta demulcentia, alias lenia paregorica; ma-

xime si pertinax adiungatur vigilia: alvus dura pro opportunitate clysteribus sollicitanda: desquamatione autem finita opportunum erit alvum blando purgante expiare.

XIII.

Caeterum sicuti de aliis exanthematibus diximus, eadem ratione prospiciendum esse fomiti, quo Urticariam sustineri, caussarum praecedentium, ac coniunctorum, si quae sunt, symptomatum consideratio docebit: prudentis demum erit, aegrum ex hoc morbo convalescentem per aliquot dies ab atmospherae iniuriis arcere.

XIV.

Nonnisi sola tuberculorum in cute apparentium, magnitudine, ac latitudine ab urticaria differre videtur exanthema, quod *esserae* nomen obtinuit, et *cnidosis* ab aliis, *Porcellana* vulgo dictum fuit, in acutum ac chronicum distinctum. Neque enim acris pruritus defectus in essera a nonnullis adnotatus, ab aliis vero quamplurimis negatus, ut et aliae notae ab anomaliis eruptionis, aut a partibus prae caeteris ab hac obsessis desumptae sufficere videntur ad distinctum statuendum exanthematis genus. Quare, quae de illa dicta sunt, huic tum quoad prognosim, tum quoad curationem accommodanda.

XV.

In universum sollicite a refrigerio caveat aeger, balnea suscipiat tepentia, ac emollientia, mitia cathartica usurpet et in rebelli affectu partes illiniat demulcenti, ac temperanti unguento, unaque simul salsaparillae, dulcamarae, smilacis, similiumque stirpium decocta, extracta, stibii, ac hydrargyri sulphureta interno usu usurpet, quibus cutis functiones redintegrantur.

I.

Miliaria nomen habuere ab efflorescentiae forma, quae consistit in exiguis Phlyctaenis, aut papulis milii granum exaequantibus. Vocata et sunt *hydroa, sudamina*. Exanthema hoc Hippocrati, et Aetio compertum fuisse, docuit Fantonus celeberrimus olim in Taurinensi Athenaeo Antecessor. Dubitatur autem, utrum Veteres pro morbo primario, an symptomatico habuerint. Illud tamen certum est, morbum a nuperioribus, praecipue vero a nostro Allioni multo accuratius descriptum fuisse.

II.

Miliaria sic describuntur a Cullen « Sinochus cum anxietate, frequenti suspirio, sudore olido, et punctionibus cutis. Incerto morbi die erumpunt papulae rubrae, exiguae, discretae, per totam cutem, praeter faciem, crebrae, quarum apices post unum, vel alterum diem pustulas minimas, albas, brevi manentes ostendunt. »

III.

Controversia inter Medicos excitata, utrum exanthemata sint primaria, an secundaria: Tissot, Stork, Collin miliaria semper primaria contendunt: Dehaen in con-

trariam sententiam discedit. Burserius autumat, nunc esse primaria, alias autem secundaria. Opinionem lubentes amplexamur.

IV.

Miliaria tribuuntur, 1.° in simplicia, et complexa; 2.° in rubra, et alba; 3.° in primaria, et secundaria, seu simptomatica, 4.° in benigna, et maligna. Allionius caeteras divisiones expungens distinxit in simplicissima, simplicia, et complicata.

V.

Dicamus primum de miliaribus primariis, quemadmodum ab Auctoribus describuntur. Tria in istis distinguuntur stadia; scilicet 1.° apparatus, 2.° eruptionis, 3.° exsiccationis. Lassitudo, artuum dolores, calor aliquanto molestus, somnolentia, cibi fastidium praecedunt. Post tres, vel quatuor dies ancipitis valetudinis febris cum horrore, et oscitationibus adoritur, sequitur calor iam ardens, iam mitis; exacto plerumque nycthemero, erumpente sudore febris remittit: singulis diebus eaedem vices adnotantur. Sudor primis diebus vix odorus, mox peculiarem foetidum, sui generis dixerim, odorem spirans.

VI.

Ubi morbus gravior est, multo vehementiora symptomata se produnt: caput acerrime dolet; dolores rheumaticis similes hic illic discruciant: animus deiectus: crebra suspiria: pectoris oppressio; terrifica insomnia: virium prostratio: lypothymiae: urinae aquosae, pallidae: subitanei, involuntarii artuum motus: tendinum subsultus: sudor profusus, valdopere acidum olens: pulsus frequentes, contracti: multo serior eruptio fit: quod a quarta ad septimam diem, aut et tardius contingit.

VII.

Memorata symptomata in primo stadio adnotantur. Eruptio alterius periodi initium facit. Miliaria primum efflorescunt ad colli latera, atque ad internam anterioris brachii superficiem; mox autem propagantur ad dorsum, abdomen, et artus inferiores: illud vero observandum, miliaria faciei parcere. Varia est papularum magnitudo, at utplurimum granum milii non superant; varius et color: unde in *rubra*, et *alba* tributa: sensim elevantur: apparet in fastigio vesicula seroso humore repleta. Facta eruptione, quandoque febris defervescit, et anxietas minuitur, aut et penitus cessat: sudores minuuntur: et alias febris exacerbatur: manus stupefiunt: praecordia opprimuntur: cutis calet; lingua arescit, et tremit; pulsus duri, celeres, contracti tanguntur: urinae uberes redduntur, ac tenues: convulsiones, stertor, coma proixmam mortem praenunciant.

VIII.

Diximus, miliaria plerumque esse secundaria: haec autem varios comitari morbos solent. Hinc facile concipias, cur tanta symptomatum differentia apud Auctores occurrat. Miliaria autem secundaria frequentissime a gastrica affectione profluunt, vel in synocho, typho, febre puerperali, morbis inflammatoriis erumpunt. Dignoscuntur miliaria secundaria ex eo, quod non praecedunt ea symptomata, quae in prima protopathicorum periodo se produnt. Vario tempore prodeunt: praesertim vero quum primarius morbus, a quo pendent, ad supremum vehementiae gradum pervenit.

IX.

Non plane exploratum est, utrum interdum miliaria a

quodam contagio producantur: illud videtur indubium, saepius ab aliis caussis promanare. Hinc patet, quo loco habenda sit opinio illustris Giannini reputantis, omnia contagia, quibus febres progignuntur, posse tuto ad miliare, et petechiale revocari. Iamvero caussae, quae frequentius miliaria excitant, censentur sequentes: sudoris materies maxime profusi retenta: saburra gastrica; quaedam aëris constitutio. Cave, ne ex epidemica miliarium diffusione, quae frequentissima est, praepropere de contagiosa natura pronuncies: siquidem morbus epidemicus esse potest, quin sit contagiosus: sat scilicet est, ut caussa sit universalis. Illud et adnotandum, miliaria frequentiora in foeminis, quam in viris adnotari.

X.

Prognosis incerta; nullus fortasse morbus fallacior. Miliaria maligna, complicata ominosiora. Symptomatum gravitas, numerus, diuturnitas periculum augent. Quo serior eruptio, spes tanto aequior, testantibus nostris Allionio, et Damilanio: quod tamen non constans. Oportet igitur et caetera attendere. Miliaria in viris magis periculosa, quam in sequiori sexu. Rubra minus periculosa: ex albis, quae basim rubentem exhibent, minus metuenda. Crystallina, pellucida, seu quae aqueum humorem in pustula continent, deteriora. Si facta eruptione symptomata leventur, bene ominandum: contra si exasperentur, aequus metus est. Repercussa miliaria brevi lethum afferunt. Sudores profusi, praecoces mali. Si instante, aut inchoante eruptione sudor subito cesset, et cutis siccissima fiat, indicium pessimum. Alvi fluxus moderatus plerumque utilis. Diarrhoeā colliquativa exitialis. Sanguis guttatim e naribus stillans signum lethale.

Vigiliae contumaces malae: lingua, et labia nigra, sitisque ingens male ominantur: respiratio difficilis: dispnoea: tumor leucophlegmaticus: gutturis dolor: vocis raucitas: convulsiones: lipothymiae proximum portendunt exitium. Contra optimum est viribus constare, facile spirare, somno aliquo gaudere, mente non aberrare, caeterasque functiones minus perturbari.

XI.

Miliarium curatio febris, cui superaccedunt, natura accommodanda. Medici olim methodo calefaciente abutentes et miliaria, quae nulla fuissent, excitabant, et quae iam existebant plurimum exasperabant. Nuperiores vero multo feliciori successu a sudoriferis abstinent, iure veriti, ne sudor, qui iam noxas inferre videtur, vitales vires infringens uberius prolectetur.

XII.

Ubi vitae vires prostratae fatiscunt, praescribenda medicamenta, quae eas erigere valent. Si saburrae gastricae indicia praesto sint, nunc emetica, alias cathartica poscuntur. Cavendum tamen, ne ex nausea, vomendi conatubus; vomitu, aut lingua muco obducta de saburrae existentia diiudicemus: etenim haec aliunde proficisci queunt, et praesertim a difficili eruptione. Caetera itaque simul attente perpendenda.

XIII.

Quandoque omnia significant, diathesim esse inflammatoriam: quo quidem tempore vena secanda: cavendum vero, ne a paucis dumtaxat symptomatibus turpiter nos hallucinari sinamus.

XIV.

Si animi pathema, nova saburrarum collectio, alia

quaevis caussa eruptionem repercusserit, nunc venae sectione, et cucurbitulis, nunc camphora aliisque nervinis; alias tartari emetici refractis dosibus nitratis prout vel orgasmus, vel pathologica debilitas viguerint, occurrendum.

XV.

Interea cubiculi atmosphaera sit frigidiuscula: aër renovetur. Ibi nonnulla animadversionem desiderant. Si tempestas sit mitis, fenestrae apertae servari identidem poterunt. Contra ianuae tantum aperiendae, quae cum aliis cubiculis communicationem instituunt. Praecipue autem cavendum, ne, ubi instet eruptio, aut iam contigerit, aegrotans refrigerium patiatur. Primo enim in casu metus est, ne eruptio praepediatur: in altero, ne retropellatur. Mundities demum maxima sedulitate servanda.

DE APHTHIS.

I.

Aphthae (1) sic discribuntur a Cullen « Synochus: « lingua tumidiuscula, linguae, et faucium color purpu- « rascens, escharae in faucibus, et ad linguae margines « primum comparentes, os internum demum occupantes, « albidae, aliquando discretae, saepe coalescentes, abrasae « cito renascentes, et incerto tempore manentes ».

II.

Aphthae distinguuntur in essentiales et symptomaticas. Posteriores sunt multo frequentiores. Tribui quoque solent in sporadicas, et epidemicas; in benignas et malignas.

III.

Non semper aphthae eodem stipantur symptomatum apparatu; benignae quandoque nulla concomitantur febre. Variam etiam exhibent formam; modo enim vere escharas exhibent, aut ulcuscula complanata, modo pustularum subrotundarum speciem praeseferunt magnitudine granum milii aequantium, modo maiorum. Differunt etiam colore; pellucidae siquidem interdum, alias subalbidae, nunc flavescentes, vel livido, aut nigro colore notatae apparent. Atque hae quidem varietates non statim ab initio se produnt, sed in progressu occurrere queunt, sic ut, quae prius discretae, mox confluentes fiant, et quae

(1) *A greco* ἅπτω *accendo.*

pellucidae, aut albescentes erant, in crustas abeant nigrescentes, gangraenosas, et vicissim: quod non tantum ex earum indole, sed ex tempestiva, aut praepostera medela, morbis, quibus complicantur, aliisque adiunctis repetendum.

IV.

Sequentibus porro symptomatibus praecedi, aut comitari consuescunt aphthae. Infantes scilicet antequam efflorescentiam in lingua exhibeant, insomnes sunt, irrequieti, suctum difficilem experiuntur; doloremque ploratu significant; calor oris est mordax; post tres vel quatuor dies in labiis, gingivis, lingua apparent exiguae escharae, albidae, tum crebrae, tum rarae, cum febris, et symptomatum incremento: alvus biliosa egerit: vox rauca est, singultus frequens. Aphthae autem nunquam in exteriori corporis habitu se produnt, sed solum in partibus interioribus, nunc solum in lingua, alias et in palato, alias et oesophagum, ventriculum, et ipsa intestina afficiunt.

V.

Vehementiora symptomata exhibent adulti, quos morbus invasit. Eruptionem antecedunt sensatio ponderis ad epigastrium, faucium ardor, ac dolor, deglutitio impedita: incerto tempore fauces, linguae radix, mox velum pendulum, totumque os crusta albida obteguntur. Oesophagum vero, ventriculum, et intestina iisdem multari probant dysphagia, vomitus, colici dolores, subsequens aphthosarum crustarum per anum eiectio, necroscopia.

VI.

Frequentiores aphtharum occasionales caussae accusantur primarum viarum saburra, neglecta corporis, oris praesertim, et faucium mundities, humores, aut quae-

cumque acria irritantia extus admota, aut intus genita, moeconium in infantibus mature non eliminatum, pravae indolis alimenta, aër noxiis particulis inquinatus. Frequentius vero aphthis afficiuntur septentrionales, et boreales plagas incolentes, tum qui paludosa inhabitant loca; et facilius si pluviosa, et calida sit tempestas; iisdemque magis patent senes; maxime vero omnium infantes; hinc praesertim in corotrophiis et orphanotrophiis familiares.

VII.

Morbus non semper aeque vehemens, ac ferox. Neonati ab aphthis non raro in discrimen adducuntur. Quo confertiores sunt aphthae, eo aequior metus, discretae, benignae, quae in oris cavea coërcentur, minus ominosae; contra malignae, quaeque ad oesophagum, ventriculum, intestina propagantur, periculum semper adducunt. Saepius renascentes malae. Spirandi et deglutiendi maxima difficultas morbi gravitatem ostendit. Si escharae carbunculosam veluti speciem acquirant, suprema imminet dies. Diarrhoea diuturna omnibus reluctans praesidiis, corporis maciem adducens, fatum plerumque praecipitat.

VIII.

Aphthas praecavere quum facilius sit, quam curare, id totis viribus enitendum Medico ut assequatur. Ad id spectat caussarum devitatio. Hinc neonatis materna praebeantur ubera. Error funestus est primum lac, quod *colostrum* vocant, esse insalubre: natura imo catharticam ei facultatem est impertita, ut mature moeconium expellatur. Si vero id locum habere nequeat in neonatis, primae viae expientur oleo, vel syrupo di cichoreo cum rhabarbaro, vel aliquot magnesiae calcinatae granis. Te-

nellis infantibus lac unice offeratur: mutetur, prout opus, nutrix, ipsique appositum praescribatur regimen, nec ea alimenta infanti praebeantur, quae debilis adhuc ventriculus subigere nequeat.

IX.

Sedulo servanda corporis mundities in infantibus. Hinc nunquam sat commendatum nutricibus, ut frequenter mutatis linteis, abstersoque corpore, huic prospiciant.

X.

Praesentibus vero iam aphthis danda est opera, ut opportunis auxiliis curentur; hinc emulsio arabica cum aliquo syrupo demulcente, hordei decoctum cum melle rosato, vel syrupo ribesiorum, aut rubidaei, accommodatissima sunt ad os colluendum: mucilaginem cydoniorum, mel rosatum et mastichis tincturam laudat I. Frank. Iuverit etiam mucilaginosis substantiis cum melle rosato, et in confluentibus, malignis, aut gangraenam minitantibus aphthis, additis aliquot acidi sulphurici vel hydro-chlorici guttis, affectas partes penicilli ope illinire. Si tormina moneant aphthas ad ventriculum, et intestina fuisse propagatas, praeter demulcentia conducunt fotus abdomini admoti, nec non clysmata ex emollientibus, ac mucilaginosis decoctis parata.

XI.

In aphthis adultorum praesertim vestigandum protinus, utrum saburra primas vias obsideat, quo in casu vel emeticum, vel catharticum praescribendum, prout cacochylia in ventriculo, vel in intestinis continetur. Primum significabunt lingua muco obducta, capitis dolor, vomituritio; alterum tormina, tenesmus, diarrhoea.

XII.

Instituta pro re nata emesi vel catharsi, ad ea con-

fugiendum, quae nuper in aphthis infantum commendavimus.

XIII.

Interim omnium maximi interest diathesis, quae consociantur aphthae, investigatio; si enim inflammatoriae diathesis evidentia se prodant coniuncta, haud parcendum venae sectioni; si vero nervosa sit diathesis, tonica, stimulantia, antiseptica in usum ducenda, quae inter iure eminet cortex peruvianus tum ore sumptus, tum collutoriis receptus.

XIV.

Neque aliquid repugnat, quin suus aliquando sit locus paregoricis, absente aut devicta phlogistica diathesi. Si enim vigiliae, dolores vexent, aut profusa, quam coërcere praestet, diarrhoea, tunc opium, eiusque praeparata in usum ducenda, vel ore assumpta, vel clysteribus recepta, vel extus illata. Infantibus vero parva cochlearia syrupi papaveris albi aut per se, aut superius propositis substantiis additi, maximo cum emolumento propinari queunt.

XV.

Demum si variis in morbis symptomaticae se prodant aphthae, his utique prospiciendum, at nunquam a praecipuis, quas natura morbi poscit, indicationibus recedendum. Utrum autem quandoque tamquam criticae aphthae censendae sint, haud ita facile consentire videntur Clinicorum observata. Verum, si in morbis gravibus cum euphoria appareant, vix est, cur affirmativam opinionem amplecti ambigamus. Quod victum, et potum spectat, aphtharum indoli, diathesi consociatae, viribus aegri, ac peculiaribus adiunctis aptandum esse non est cur addamus.

DE PEMPHIGO.

I.

Exanthema saepius febrile a bullis constitutum, quae in variis corporis partibus, sed speciatim in facie, collo, pectore, cruribus, interdum per universum corporis habitum erumpunt, et nucis avellanae magnitudinem attingunt, humore seroso, vel ichoroso refertae, per plures dies manentes, ardorem, et pruritum excitantes, donec aut dehiscentes contentum humorem effundunt, vel hoc absorpto exsiccantur a Sauvages et Cullen, *febris bullosa*, *pemphigodes* a Vogel, *exanthema bullosum*, *febris vesicularis* aliis, *pemphix*, *pempholix*, *pemphigus* a bulla graece πεμφιξ appellatur: cuius eximiam hypotyposim tradidit Bobba noster: eruptione exordiente maculae primum se offerunt rubrae mox in bullas abiturae quae cutim inter ac cuticulam assurgunt, et humorem prius diaphanum, dein subflavum multo albumine dives recondunt.

II.

Phemphigus dividi solet in primarium, et symptomaticum; benignum, et malignum; acutum, et diuturnum; simplicem et complicatum, sporadicum, epi-

demicum, quibus nonnulli contagiosum ac criticum addunt. Cullenius eo animum inclinat ut pemphigum ceu morbum semper symptomaticum habeat. Verum penes plerosque cordatos pathologos utlibet rarius, primarium tamen pemphigum esse, consentit. Persaepe quidem symptomaticus est pemphigus, quem in febribus intermittentibus, gastricis, nervosis; in inflammationibus; in affectione hysterica, et arthritica; in dysenteria expertissimi observarunt Clinici. Quinque huius species Sauvagesio recensitae nempe 1.° Pemphigus maior; 2.° Castrensis. 3.° Pemphigus Helveticus; 4.° Pemphigus Indicus; 5.° Pemphigus Brasiliensis, pemphigum symptomaticum referre videntur. Alii hunc morbum esse contagiosum inficiantur; alii ex adverso contagiosum tuentur quorum quidem postremae sententiae accuratae refragantur observationes.

III.

Pemphigus primarius, modo benignus, modo malignus est: hic est saepius epidemicus, ac in castris, orphanotrophiis, praesertim insalubribus evolvitur. Benignus inflammatoriam indolem; malignus utplurimum nervosam praesefert. Ille enim synocha febre, et phlogisticis symptomatibus; hic febre typhode, summa virium infirmitate, nervosis pathematibus utplurimum stipatur.

IV.

Benignus pemphigus incipit plerumque febre miti, aliqua lassitudine, et capitis dolore; prima, secunda, aut tertia die in variis corporis partibus se produnt maculae; deinde attollitur epidermis, et erumpunt vesiculae, quae humorem subflavum, et serosum continent. Hae per aliquot dies manent; mox dehiscunt;

et humorem emittunt, aut hoc resorpto exsiccantur, et epidermis in frustula decidit subnigra, quod intra septem dies absolvitur. Quandoque primis morbi diebus aliqua deglutiendi difficultas, nausea, vomendi desiderium, aut vomitus, imi ventris dolores cito abeuntes prodeunt.

V.

Malignus vero pemphigus initium sumit a febre, quae variam speciem mentitur, inflammatoriam modo, alias exquisite nervosam: saepe magna est virium deiectio, et gravia sunt symptomata, ut dysenteria, vomitus, respiratio laboriosa, deglutitio valde laesa, tumores parotidum, etc. Saepe ubertim vesicae in variis partibus exiliunt, et eodem loco, ubi disrumpuntur, aliae succrescunt. Saepe etiam oris cavum, fauces, pharyngem, nec non intestina, obsident. Acerrimo scatent humore qui mox sanguinolentus evadit. Hic subinde prompte absorbetur; alias diu manent vesicae, quae tandem dissiliunt manante acri foetidoque humore.

Vesicae autem aut discindantur, aut exarescant, locus ubi sedem habuerunt, tenui, et obscura crusta tegitur, quae secedit. Rarissime relinquuntur foveae, sed diu persistunt macularum vestigia.

VI.

Ex ipsa pemphigi historia liquet, quibus notis hic morbus a miliari exanthemate, praesertim albo, et a variolis crystallinis nec non erysipelate phlyctaenode, zostere, et eczemate toxico cum quibus maximam alit adfinitatem, disterminetur. Album enim exanthema miliare vesiculas exhibet grano milii non maiores; in pemphigo vesicae sunt nucis avellanae magni-

tudine, interdum maiores, raro minores. Variolae autem aquosae, et crystallinae multam cum pemphigo similitudinem ostendunt, sed earum vesiculae, maxime si confluant, pure turgent; in pemphigo bullae nunquam pus, sed serum subflavum recondunt. Erysipelas vero phlyctaenodes a pemphigo distingui patitur a febris praegressae et comitantis peculiaribus notis, a rubore et tumore extenso, in amplas ulcerationes abeunte ac maiori morbi incremento efflorescentibus phlyctaenis; pathognomonicae vero zosteris notae, eruptionis sedes, ac forma peculiaris, febris, rubor magis intensus ac phlyctaenarum minor magnitudo illud a pemphigo liquido distinguunt. Eczema vero toxici phaenomena, dysphoria, agrypnia, pruritus, ardor, rubor, tumor, maiorem quam in pemphigo vehementiae gradum praesegerentes, et vesiculae minoris voluminis ac quandoque pustulae, docente Hartmanno, scabiosis similes nec non praegressae causae notio sat aperte diagnosim pemphigi ab eczemate a *Roibus* inducto produnt.

VII.

Cum pemphigus est symptomaticus aliis primarii morbi symptomatibus adiungitur. Plurimorum autem morborum symptoma, se sistit; sed frequentius febrium nervosarum, et aegritudinum, quae de indole typhode participant. Nonnunquam oritur ab hysterica affectione, unde hystericus dicitur aliquando; a rheumatica scaturit labe, et tum dolores capitis, colli, lumborum, artuum, difficilis respiratio, et alia symptomata huius affectionis propria praecedunt, deinde exiliunt bullae maiores vel minores, plus aut minus manentes, et interdum in ulcera abeuntes.

VIII.

In caussam primarii pemphigi etiam inter recentiores nonnulli contagium referunt, refragantibus plerisque; ille quippe pemphigus contagiosus, de quo narrantur historiae, febrium, aut morborum contagiosorum esse videtur symptoma; enimvero pluries a cordatis Clinicis observatum est, haudquaquam per contagionem se diffundere pemphigum, etsi malignum.

IX.

Humida climata, aestiva tempestas, aetas infantilis, lis, sequior sexus, temperamentum lymphaticum potiora proëgumena momenta pemphigi sistunt.

Occasionales vero caussae frequentiores sunt subitae ac nimiae temperiei vices; immodica humorum excrementitiorum iactura vel retentio, sordes, inedia, animi pathemata, pravus aër, victus inopia. Pemphigus symptomaticus, gastricarum, biliosarum, typhoidearum febrium, arthritidis, litiasis soboles persaepe est.

X.

Pemphigus benignus periculo caret; malignus vero aleae plenus est, et lethalis. Dum mortem non adfert, ad decimam quartam diem extenditur. Ad praesagiendum vero de hoc morbo, symptomata, bullarum numerus, sedes, aspectus, aegri vires perpendenda. Etenim si mitis sit febris, et symptomata, bullae paucae, et externas partes solum occupantes, humore subflavo repletae, vires valeant, iure sperandum est.

XI.

Contra si febris sit vehemens, et gravia symptomata, ut respiratio difficilis; dysenteria; parotidum tumores; vesicae numerosae, non solum externas, sed etiam in-

ternas partes, ut pharyngem, aesophagum, intestina obsidentes, et acri humore, ac sanguinolento turgidae; virium collapsus; ulcera in quae abeunt vesicae livescentia, valde timendum est. Dum autem vesicae rompuntur, saepe succedunt ulcera. Animadvertendum vero est, quod etsi absit febris, non semper dici potest pemphigus benignus; Burserius enim cuiusdam viri octuagenarii historiam refert qui repente aliquot ampullis serosum humorem continentibus in variis partibus correptus sine febre, intra quatuor, aut quinque dies vita cessit. Si vero pemphigus sit symptomaticus, a natura primarii morbi eruitur prognosis; ut si febrium nervosarum sit symptoma, grave indicat periculum. Pemphigus simplex acutus facilis; chronicus in senibus praesertim maxime ominosus. Pemphigus scalptu aut praepostera medela irritatus aut qui propter septicam morbi quem comitatur, indolem, ad sphacelum tendit, mali ominis esse poterit.

XII.

Si pemphigus sit benignus, et mitis amotis causis cito sanatur, vel pauca, et levia auxilia sufficiunt, ut aliqua alvi ductio, diaphnoica mitiora, modicus victus: bullae vero oleo, butyro, unguento simplici illiniuntur. Si vero gravior, aut malignus, efficaciora medicamina in usum vocanda. Generatim huiusce morbi curatio duplex est. Etenim vel hic sub quadam inflammatoria specie corripit, et tum febris est vehemens, pulsus durus, aucta nimis vasorum actio; vel sub specie typhode, et tum summa est virum infirmitas, exiguus, pulsus, febris nervosis symptomatibus stipata. In priori casu antiphlogistica methodus, sanguinis missiones generales,

et topicae, temperantes, diluentes potus, nitrati, cathartica mitia et antiphlogistica reliqua praesidia conducunt. In altero tonica, cardiaca, antiseptica haud tamen indiscriminatim conferunt.

XIII.

Si vero gastricarum saburrarum ventriculi, aut intestinorum adsint signa, lenia cathartica, aut leve emeticum praemittendum. Dein acida vegetabilia et mineralia ipsa aqua diluta, diluentia, temperantia diu propinanda. Magni quoque usus sunt balnea tepentia frequenter suscepta.

XIV.

Si phlyctaenae oris cavum obsideant, gargarismata detergentia conferunt, si alimentarem tubum bullis obsideri constet potiones ex dococtione hordei, et lacte, aut mucilaginosae idoneae sunt. Id vero generatim tenendum in curatione pemphigi praesertim chronici incitantia remedia utilia fore maxime cum a caussis debilitantibus oritur, et corpora adgreditur universali atonia confecta.

XV.

Denique si pemphigus sit symptomaticus, medela primario morbo accommodanda. Propterea si a gastricis saburris ortum habeat, modo, emetica, modo cathartica conducunt; si vero viscerum phlogosis soboles fuerit, antiphlogistica atque ipsam phlebotomiam exposcit non secus ac ille qui a rheumatico fonte est, cui tollendo etiam diaphoretica prudenter usurpata commendantur. Convalescentibus vero apta diaeta, eupepta alimenta, irritantium omnium substantiarum sollicita devitatio, refrigerii fuga consulto laudantur.

EXANTHEMATA CONTAGIOSA

DE SCARLATINA.

I.

Exanthematis genus Veteribus parum cognitum, ante saeculum XVI non satis accurate descriptum, *Scarlatina* est. Variis fuit insignita nominibus: *Purpuram*, vel *Rubores* vocavit Forestus: *Febrem Scarlatinam* Sydenham: *Rosoliam* Hoffmann; *Febrem rubram* alii. Coccineus cutis color nomen imposuit.

II.

Sic describitur a Cullen. *Synocha contagiosa. Quarto morbi die facies aliquantulum tumens, simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens, superveniente dein saepe anasarca.* Monere iuvat, febrem symptomaticam non semper esse inflammatoriam.

III.

Scarlatina distinguitur: 1.° in *sporadicam*, et *epidemicam*; 2.° in *benignam*, et *malignam*.

IV.

Syptomata nunc fusius describenda. Clinici distinguere solent tria stadia. Primum orditur a febris accessu, et producitur usque ad eruptionem: alterum incipit ab eruptione, et protenditur usque ad desquamationem: tertium complectitur illud tempus, quo desquamatio absolvitur. Orditur ut plurimum a febre, quae interdum adeo levis est, ut nulla esse videatur; quandoque et eruptionem sequitur. Remittentis quotidianae typum servans mane remittit, vespere exacerbatur. Simul autem divexant lassitudo: sitis: oris, et faucium irritatio, et tumor saepius tonsillas evidentius afficiens, cum deglutitionis incommodis, verbo cum anginae symptomatibus, quae non raro per totum morbi decursum perdurant: virium defectio, aut oppressio: praecordiorum anxietas: respiratio difficilis: capitis dolor: tussis: oculorum splendor: insolitus faciei rubor. Tertia ineunte die, maculae in cute prodeunt rubrae, frequentes, sensim latitudine augescentes. Faciem, et collum primum occupant; mox ad pectus; abdomen, artus se diffundunt. Facies tumet: palpebrae inflantur: pressa cutis albescit, ut in erysipelate; at ablata pressione rubor denuo apparet. Alvus vel otiatur, vel liquida egerit: lotia sunt parca, flammea, et cum ardore minguntur. Septima die febris mitescit, caeteraque simul symptomata leniuntur, maculae evanescunt, et cuticula sensim in squamas furfuraceas delibatur.

V.

Symptomata, quae superius descripsimus, spectant ad Scarlatinam benignam; at interdum multo graviora adnotantur. Ante eruptionem caput grave est: oculi

rubent, calent, illacrymantur, lucis impatientissimi: fauces ardent, dolent, siccescunt: crebra sunt sternutamenta: tussis ferina: respiratio anhelosa. Pulsus nunc validissimus, alias debilis, inaequalis. Convulsiones non raro violentae. Eruptio nunc praecocior, alias serior. Symptomata non mitescunt, imo exasperantur: saepe faucium affectio in gangraenam vergit, quo in casu Scarlatina appellatur *cynanchico-gangraenosa*. Alvus non raro sanguinem egerit: crebrae ex naribus, et utero haemorrhagiae, singultus, convulsiones, tendinum subsultus, stertor proximam mortem praenunciant. Pulsuum autem, et virium consideratio ostendunt, utrum diathesis, qua Scarlatina stipatur, sit inflammatoria, an nervosa.

VI.

Ex dictis patent discrimina, quibus Scarlatina ab aliis exanthematibus, ac praecipue a morbillis, et variola seiungatur. In morbillis non adeo tumescit cutis, maculae non adeo intense rubent, sunt asperae, ac symptomata catarrhi adnotantur. Contra in Scarlatina maculae intensius rubescunt, ac late extenduntur, accedit affectio memorata anginam aemulans. In variola pustulae verae occurrunt, et gastricae affectionis indicia praecedunt. Ex adverso maculae in Scarlatina neque asperae sunt, neque in suppuratum abeunt. Non est cur singillatim comparemus Scarlatinam cum aliis exanthematibus; differentiae enim satis manifestae deprehenduntur. Praetereundum non est, varia, pro regnantis epidemiae varietate sibi adsciscere phaenomena Scarlatinam. Sic quae in civitate grassata est aliquot ab hinc annis pene constanter per sat longum tempus gastricae colluviei sociata incessit.

VII.

Caussa occasionalis a plerisque contagium aestimatur, de quo tamen haud convenit inter omnes. Verum, si accuratas nuperiorum praesertim Clinicorum observationes consulamus, non est cur contagiosam Scarlatinae indolem absolute inficiari possimus.

VIII.

Scarlatina benigna nullo stipatur periculo. Contra maligna ut plurimum fatifera. Violenta febris ab eruptione perdurans, faucium inflammatio, tumor cutis fere phlegmonodeus, encephalitis, peripneumonia se se adsociantes maxime sunt malignitatis indicia. Si, absoluta Scarlatina, perseveret tumor cutaneus, et urinae sint parcae, anasarcam praesto esse praesagit.

IX.

Benigna Scarlatina facile curatur. Diaeta temperans, aëris tum calidioris, tum frigidioris devitatio, lenia diapnoica curationem implent. Habenda tamen est ratio status primarum viarum; ventriculus enim, ac intestina sordibus congestis exoneranda emeticis purgantibus, elysteribus pro re nata praescriptis.

X.

Scarlatina autem maligna non sine artis praesidiis sanari consuescit. Varia autem curatio pro variis adiunctis. Iam superius adnotavimus malignam Scarlatinam nunc diathesi phlogistica, nunc nervosa stipari. Si pulsus sit durus, validus, frequens: si caetera consentiant, sanguis mittendus, quod et iterari pro re nata licuerit.

XI.

Si fauces valdopere tumeant, iuvat hyrudines collo

admovere. Simul autem non erunt inutilia collutoria, et gargarismata demulcentia. Alvus libera servetur cum potionibus, tum clysmatibus laxantibus. Si perspiratio cutanea turbata fuerit ob nimium orgasmum, post venaesectionem proderunt diaphoretica, uti infusum theae, florum sambuci, florum papaveris rhaeados, id genus alia.

XII.

Symptomata nervosa contrariam curandi methodum expostulant. Si adsint indubia saburrae gastricae signa, emesis cieatur: nec adeo facilem incutiant metum anginae symptomata. Mox ad stimulantia confugiatur. Tinctura corticis peruviani, emulsum camphoratum, infusa serpentariae, contrayervae primas sibi vindicant: acetum camphoratum, acidum sulphuricum dilutum, tinctura myrrhae apta sunt ad fauces gangraena multatas coluendas.

XIII.

Ubi eruptio lenta sit, vel efflorescentia repercussa fuerit, curandum, ut quantocius revocetur. Antequam vero decernatur quaenam auxilia in usum sint advocanda, oportet nosse diathesim, qua morbus insignitur. Si nimius orgasmus eruptionem perturbaverit, balnea tepida, cucurbitulae, imo et quandoque venae sectio conducunt. Ex adverso diaphoretica, tonica, vesicantia praescribenda.

XIV.

Desquamatione procedente, ac finita, opportunum erit alvum expiare. At maximi interest totis viribus allaborare, ne, refrigerio inducto, aut aliqua quacumque de caussa aliis morbosis affectionibus praebeatur origo,

maxime vero, ne, quod frequentius contingit, anasarca succedat.

XV.

Quapropter cavendum, ne delinquatur in regimine, ac praesertim, ne atmosphaerae iniuriis per sat longum tempus pateat ex Scarlatina convalescens. Proderit etiam frictionibus uti, potionesque leniter diaphoreticas, ac diureticas praebere, alvo interim libera semper servata, donec omnem prorsus evanuisse metum constet. Tempus autem, ultra quod vix amplius locus sit metuendi, cautiores ad quadraginta dies extendunt. Quod si hisce omissis cautionibus anasarca manifestetur, festinanter indicatis in huius morbi curatione auxiliis pugnandum.

DE MORBILLIS.

I.

Morbillos sic descriptos a Cullen legimus: « synocha « contagiosa cun sternutatione, epiphora, et tussi sicca, « rauca. Quarto morbi die, vel paullo serius erumpunt « papulae, exiguae, confertae, vix eminentes, in squa- « mulas furfuraceas minimas abeuntes ». Febris tamen symptomatica interdum typhoidea est. Quamobrem aequius scripsisset *synocha, vel typhus contagiosa*. Morbilli vocantur quoque rubeola. Plerumque semel exanthema invadere per vitam consuevit.

II.

Opinio est ab Afris cum variola ad Europam fuisse propagatos. Sane apud veteres Graeos nulla de morbillis iniicitur mentio.

III.

Morbilli distinguuntur 1.° in benignos et malignos: 2.° in regulares, et anomalos: 3.° in sporadicos, et epidemicos. Distinctio utilior ea est, quae desumitur a diathesi. Haec sane illa est, quae rectam curationis methodum suggerit.

IV.

Tria in morbillis distinguuntur stadia, quorum unumquodque tribus diebus absolvitur, si iis regulares fuerint. Sunt autem 1.° stadium contagii: 2.° eruptio: 3.° desquamatio.

V.

Morbilli benigni talibus stipantur symptomatibus. Praecedunt tussis sicca, sternutatio, oculorum prurigo, lacrymarum profluvium, faucium dolor. Mox adoritur febris mitis, interdum et nulla est: tertia exeunte, vel quarta ineunte die, punctula rubra in facie erumpunt, sensim autem ad collum, pectus, ventrem, ac artus se diffundunt. Febris interim primum minuitur, dein penitus cessat: punctula vero nonnisi in fastigium assurgunt, minus lata zona ambiuntur, quam variolae, nec ut ipsae in suppuratum abeunt. Sexta die exsiccantur, ac in furfuraceas squamulas delabuntur.

VI.

Morbilli maligni vel sunt inflammatorii, vel nervosis pathematibus stipantur. Permulta utrisque communia. Praecedunt vomitus, anxietas, dyspnoea, lacrymatio molestissima, somnolentia, sudores olentes, frequenter diarrhoea. Quarta die, alias praecocius, alias serius fit eruptio, febre non ideo mitescente. At alia sunt, in quibus differunt. In inflammatoriis oculi sanguine suffusi cernuntur; tota cutis turgescit, pulsus durus, validus, frequens, calor auctus, urina flammea. Contra in nervosis animus deiectus, vires prostratae, pulsus debilis, cutis magis livida, quam rubra: tremunt artus: subsiliunt tendines: lypothymia ingruit. Saepe morbilli sibi gastricam affectionem adiungunt; quo in casu

praeter symptomata modo memorata ea et accedunt, quae saburra ventriculum gravans excitare consuevit.

VII.

Ex dictis patent discrimina, quae intercedunt inter morbillos, et alia exanthemata: ac praecipue manifestum est, morbillos distingui a variola: 1.° symptomatibus catarrhi, quae praecedunt eruptionem morbillosam, epigastrii, et lumborum dolore, ac indiciis gastricae saburrae, quae frequentius variolicam efflorescentiam abnunciat: 2.° papulis non valde acutis, nec in suppuratum abeuntibus. In scarlatina vero maculae sunt latissimae, et irregulares, nec asperae deprehenduntur: solent autem praecedere symptomata anginae.

VIII.

Morbillorum causa est contagium peculiare, cuius natura, quod attinet ad principia constituentia, penitus latet: et effectibus dignoscitur. Ex hisce autem eruimus, contagium morbillosum a caeteris differre; etenim perpetuo eumdem morbum excitat, ac membranam gastro-bronchialem et cutim una impetit.

IX.

Utplurimum morbilli minus periculum afferunt, quam variolae. Morbilli benigni nec valde functiones perturbant, nec adeo medicorum sollicitudines postulant. At morbilli maligni aequum metum incutiunt. Praeceps eruptio peior, quam tardior. Febrem ab eruptione facta moderari salutare est. Summus calor, nimius oculorum rubor, dispnoea molesta, tussis ferina, delirium, somnolentia sunt totidem maxime malignitatis indicia. Maculae pallidae, vel subflavae pessimae. Diarrhoea

profusa, haemorrhagia effraenis, dysentericus alvi fluxus ingruentia fata praenuntiant.

X.

Morbilli benigni sponte sanantur. Aegrotans caveat a nimio aestu, a nimio frigore; utatur diaeta vegetabili, leniter laxante, potu temperante subacido, sero lactis ad libitum. Alvus libera servetur clysteribus.

XI.

Si morbilli sint graviores, validioribus occurrendum auxiliis. Si omnia symptomata indicent vitae vires maxime adauctas, ad antiphlogistica confugere iuverit. Si pulsus sit durus, validus, frequens, et oculi sanguine diffundantur, et spiritus sit laboriosus, et caetera id genus occurrant, vena secanda: iterato et secanda si pathemata perseverent. Aeger lectulo decumbat parum obtectus: lux sit moderata: aër sit moderate frigidus: emulsiones ex seminibus frigidis affatim potentur; addantur pro re nata bitartras potassae, vel nitras potassae: alvi libertati prospiciatur eccoproticis lenibus cassia, manna, tamarindis, oleo ricini, similibus.

XII.

Tussim moderabuntur mixtum ex emulso amygdalarum dulcium, oxymelle simplici, et gummi arabico: tepidus aquae vapor inspiratus: collutoria emollientia: linctus demulcens: nec non, diathesi inflammatoria iam devicta, paregorica.

XIII.

Si nervosa pathemata se prodant, alia methodus adhibenda. Dispiciendum protinus, num certa adsint gastricae saburrae indicia. Si adsint, emeticum propinandum, modo absint ventriculi phlogosis pathemata.

Iuvat interdum ea praescribere, quae vitae erigere vires valent. Emulsum camphoratum, infusum serpentariae Virginianae, tinctura antiseptica Huxhamii, aetheres, vesicantia conducunt. Diarrhoeam nimiam compescent opiata, cum ore assumpta, tum per anum iniecta. Haemorrhagiam sistent adstringentia, praesertim vero cortici peruviano nupta. Superstitem atoniam martialia ipsi cortici nupta emendabunt.

XIV.

Exemplo a variolis ducto, insitio morbillorum proposita, quam primus adhibuisse creditur Home. Instituitur sanguine eorum, qui morbillis decumbunt, subter cuticulam indito. Methodus obsolevit. Optandum profecto foret, ut quemadmodum contra variolam, ita et contra morbillos tutum suppeteret prophylacticum auxilium.

XV.

Medium inter morbillos et scarlatinam exanthema recentiores *Rubeolam* nuncupant ob rubrum quem offert, colorem. In eius natura decernenda dissident pathologi ac ideo etiam nomine *rubeolae* promiscue utuntur modo morbillis, modo aliis exanthematum speciebus dicato. Observationibus autem et rationi consentaneum videtur arbitrari *rubeolam* neque exanthema sui generis neque constantem scarlatinae solius modum, sed varietatem hybridam nunc illius, nunc morbillorum, quod inconstans morbi forma modo ad hoc, modo ad illud exanthematis genus inclinans, confirmare videtur.

DE VARIOLIS

Art. I.

DE VARIOLA BENIGNA.

I.

Teterrimum, et contagiosum exanthema constituit variola, nonnunquam sporadicum, saepius epidemicum, quem vix ulli effugere datum est, ne ipso excepto foetu. Plerumque semel per vitam adoritur, quin tamen variolae denuo reversae exempla desiderentur.

II.

Praecedunt variolam pyrexia, nausea, vomitus: dolor epigastrii a compressione augescens. Post tres dies erumpunt papulae phlegmonodeae, quae sensim ad pisi magnitudinem attolluntur: a septima vero die suppuratio excitatur. Denique pustulae exsiccari incipiunt, ac brevi in crustas deciduas abeunt, vestigia, vel et cicatriculas post se relinquentes.

III.

Variola distinguitur: 1.° in discretam, et confluentem; 2.° in benignam, et malignam; 3.° in inflammatoriam, ac illam quam pathemata stipant nervosa;

4.° in regularem, et anomalam; 5.° in sporadicam, et epidemicam. Discreta dicitur, quae pustulis distinctis erumpit. Si variae pustulae eidem areolae insideant, solet vocari variola confluens. Si symptomata mitia fuerint, variola nuncupabitur benigna, secus erit maligna. Variola cum discreta, tum confluens nunc benigna esse potest, alias autem maligna. Ratio demum habenda conditionis virium vitalium: unde variola distinguitur ratione indolis sociae in inflammatoriam, et nervosam; haec autem distinctio ea est, cui innixus Clinicus ad rectam curandi methodum ducitur. Si stadia consuetis limitibus coërceantur, vocatur regularis: secus si breviora fuerint, vel diuturniora, appellanda irregularis, anomala.

IV.

Quatuor stadia emetitur variola: sunt autem 1.° stadium contagii, aliis invasionis; 2.° eruptionis; 3.° suppurationis; 4.° exsiccationis. Symptomata, quae per singulas periodos observantur, describemus. Nunc tantum ea persequimur, quae variolam benignam comitantur. Praecedit per aliquot dies incerta, labensque valetudo; deinde nascitur febris cum horrore; excipiunt calor, sitis, capitis dolor, nausea, vomituritio, sensatio ponderis ad epigastrium, somnolentia, ingens ad sudores in adultis propensio, et ad convulsiones, vel epilepticos insultus in infantibus.

V.

Die tertia ad finem properante, vel ineunte quarta, variolae se primum produnt in facie, collo, genis, fronte, labiis, pectore, brachiis. Primum sunt perexiguae, at paullo post in pustulas elevantur. A facie

propagantur ad collum, pectus, ventrem, dorsum, extremitates; interim fauces dolent, pustulis ibi quoque excitatis, febris autem, facta eruptione, sensim defervescit.

VI.

Septima die ineunte, nova febris exoritur: pulsus fit frequentior: calor intensior evadit: tota facies intumescit: saepius palpebrae inflatae oculos claudunt; similis turgor, vel minor in reliquo corpore adnotatur. Pustulae pure replentur albido primum, mox subflavo. Nona morbi die primum in facie, deinde in proximis partibus pustulae offuscantur in centro, dehiscunt, ac pus fundunt. Absoluta suppuratione detumescit facies, quod undecima plerumque die contingit. Pustulae exsiccantur, decidunt, succedentibus squamulis, quae sub furfuris specie delabuntur, maculas, vel et foveolas in cute relinquentes.

VII.

Caussa occasionalis est contagium sui generis. Variolici autem contagii non secus, ac aliorum natura alta caligine premitur. Omnes contagio suspiciendo apti sumus modo nondum variolam superaverimus. Cur autem variola semel superata praedispositionem tollat, arcanum est, res tamen compertissima.

VIII.

Prognosis varia. Turbae in primo stadio non semper metuendae. At si post eruptionem perstant, malignitatis indicium praebent: discreta plerumque est confluente mitior. Adulti magis periclitantur, quam infantes: si vermes, dentitio accesserint, iure pertimescendum. Levis capitis dolor, calor mitis, sitis moderata,

pulsus aequalis, vires validae, respiratio facilis, somnus pacatus bene augurantur.

IX.

Omne curationis momentum in eo continetur, ut naturae motus regantur. Quum vero vitae vires in variola benigna parumper auctae appareant, danda est opera, ut aliquanto compescantur, et ad salutis normam restituantur.

X.

Maxima curationis pars in diaetetico regimine collocanda. Lectuli, et cubiculi calor nimius plurimum confert ad febrem exacerbandam, et cutaneam eruptionem perturbandam. Merito itaque Sydenhamius calefacientem methodum expungens docet, aegros non nimio stragulorum pondere fatigandos, et a lecto eximendos esse, intereaque curandum, ut aër cubiculi temperatus sit potius ad frigidum inclinans. Hoc tamen ita accipiendum, ut constitutionis, anni temporis, coniunctorumque sedula semper habeatur ratio.

XI.

Turbae, quae se produnt ante eruptionem, haud semper perterrere medicum debent; plerumque enim, facta eruptione, sponte pacantur. Quocirca non praepostere confugiendum ad validiora praesidia, ni omnium adiunctorum diligens consideratio aperte iubeat.

XII.

At vero si aeger plethoricus sit, febris vehementior, pulsus durus, validus, frequens, aut ob virium oppressionem obscurus, calor ingens, cutis arida, respiratio anxia, facies rubra, capitis dolor vehemens, aut stupor, aut coma praesto sint, sanguis mittendus.

Teneri infantes raro contingit, ut sanguinis missione egeant; si vero indicetur, hirudinum ope potius detrahendus.

XIII.

Simul vero praescribenda caetera praesidia, quae refrigeranti actione pollent. Huc spectant potiones diluentes, quibus adduntur acida vegetabilia, oxymel, nitras potassae, tartras potassae acidulus, id genus alia. Lactentibus prospicitur, appositum regimen nutricibus imperando, ipsisque memoratas potiones praescribendo.

XIV.

Si variola recte procedat, neque ea se adiungant, quae aliquid praeterea moliendum iubeant, ab emeticis, et catharticis abstinendum. At si evidentia saburrae indicia subfuerint, nunc emetica, nunc purgantia conducunt. Ptyalismum in adultis, et diarrhoea in infantibus neutiquam compescenda: sunt enim criticae. Contingere tamen potest, ut copiosiora sint, et temperari oporteat. Quod facilius in maligna variola, contingit.

XV.

Varietatem dumtaxat variolae sistit *varioloides* Auctorum, exanthema nimirum pustulosum cui patent adhuc qui semel iam variolam, aut etiam legitimam vaccinam fuere perpessi. Varioloidem perperam ceu distinctam variolae speciem habendam esse rati nonnulli sunt. Benignam ut plurimum, rarius malignam induit indolem pro vario sociae febris ingenio, neque aliam exposcit medelam nisi illam, quae variolis aptatur.

DE VARIOLIS

Art. II.

DE VARIOLA MALIGNA

I.

Variolae malignitas non perpetuo inter initia se prodit. Saepe enim ea symptomata, quae maximam perturbationem, morbique gravitatem indicare videbantur, facta eruptione, derepente mitescunt. At quum eruptio contigerit, iudicium facile. Iuvat tamen symptomata, quibus variola maligna in singulis suis stadiis stipari consuevit, describere. In primo stadio caput, et artus graviter dolent: vires prostratae sunt: mens stupet, atque delirat: vigiliae sunt continuae; praecordia opprimuntur: fastidiuntur alimenta: subsiliunt tendines: contremiscunt artus: frequentes lipothymiae ingruunt: spiritus cum labore ducitur: urinae uberes aqueae minguntur.

II.

Quarta die exorditur eruptio: verum lenta haec est, et imperfecta. Variola benigna inter nychthemerum prodit: contra maligna sensim, et ad intervalla erumpit. Pustulae non sunt aequales: at aliae sunt maiores: minores aliae: aliae fastigiatae: aliae obtusae: aliae pallidae: alia pellucidae. Febris eruptione perseverat: imo saepenumero exacerbatur. Interim alia symptomata superveniunt: alvus liquida egerit: sudor inutilis prolicitur: profundum coma accedit: vires valdopere languent.

III.

Illud autem plerumque observatur in variola maligna, lentam scilicet esse suppurationem. Alias imo nulla suppuratio est. Huc attinent variolae crystallinae, et verrucosae. Crystallinae, seu lymphaticae vocantur illae, quae pellucida quadam lympha replentur. Freind memorat variolas liquore inanes, et appellavit siliquosas. Mead considerat tamquam crystallinas, censetque primum lympham aliquam continuisse, quae postmodum resorpta fuerit. Verrucosae autem sunt durae, verrucis persimiles.

IV.

Opinio invaluerat penes Medicos, omnem variolam confluentem esse malignam, et vicissim omnem malignam esse confluentem. Quod quidem plane constans non est. Quamobrem maligna, quam describimus, variola nunc discreta est, nunc confluens. Primo in casu areolae, quibus circumambiuntur pustulae, a se mutuo distinctae cernuntur; in altera autem specie complures pustulae eidem areolae erysipelatosae insident, vel et permultae pustulae aliae aliis accumbunt, ac veluti in

corymbum collectae, atque coacervatae apparent. BURSERIUS varias distinguit species variolae confluentis malignae. In priore peticulae, aut purpureae, vel lividae maculae, aut crystallina miliaria ad cutim erumpunt, longaeque haemorrhagiae contingunt. Eruptio est praematura; pustulae vix conspicuae sunt: mox vero tota cutis erysipelatoso rubore intumescit. In altera specie facies erysipelas ostendit: at in reliquo corpore pustulae sunt exiguae, ac morbillis persimiles: differunt autem ob duritiem. Tertia species sic describitur, ut variolae confertim erumpant exiguae, non penitus discretae, et non cohaerentes. Quartam speciem constituunt variolae sic dictae sanguineae. Sunt autem vesiculae lividae, aut purpureae. Tales autem vel iam ab initio sunt, vel instante suppuratione fiunt. Nulla suppuratio in iis contingit, verum sanguis solutus ex propriis vasis erumpit. Ad sextam speciem referendae variolae crystallinae, quae etiam lymphaticae vocantur, tum et siliquosae, ac verrucosae, de quibus superius mentionem instituimus. Septima species eas complectitur variolas, quae benignarum morem simulant, at pervivaci diarrhoea, colliquante sudore, delirio, vigilia, peticulis, miliaribus, id genus aliis symptomatibus mox necem intentant. Demum octava species constituitur ex iis variolis, quae ante eruptionem terrificis symptomatibus stipantur, quae tamen ab eruptione mitescunt.

V.

Dicenda symptomata graviora, quae variolis superaccedunt. Frequentissima est phrenitis, quae modo in primo stadio observatur, alias autem in eruptione: alias in febre suppurationis: alias denique per omnem morbi decursum

viget. Caput alias diversimode afficitur, ut non phrenitis oriatur, at contra coma. Quandoque pustulae variolicae commiscentur cum peticulis, et miliariis, quae modo primaria sunt, modo secundaria: nec semper expeditissimum est decernere, quo sint referenda. Interdum pus adeo causticum est, ut in apicibus pustularum gangrenulas inducat. Non infrequens est, variolas difficulter, atque imperfecte erumpere, aut, ubi eruperint, subito evanescere. Quod nunc a virium vitalium prostratione, alias a nimio orgasmo promanat. Ischuria, haemoptysis, caeterarum partium haemorrhagiae saepissime superveniunt. Oculi autem praecipue variolis multari queunt. Iam dolent, rubent, lacrymantur: iam palpebrae praetermodum tumentes oculum penitus obtegunt. Alia et graviora, puta hypopion, staphyloma, leucoma, alia mala excitantur. Nec aures a noxis immunes: etenim pus variolicum otalgias, apostemata, surditates adducit. Vomitus quidem et in variolarum benignarum initio observatur, verum ab eruptione cessat. At interdum contumax est, non dubio malignitatis argumento. Persaepe et adiungitur alvi fluxus: egerunt autem foetida, cinerea, viridia, flavescentia.

VI.

Prognosis frequenter infausta. Sporadicae minus metuendae, quam epidemicae. Inflammatoriae minus periculosae, quam nervosae. In primo stadio dolor capitis levis, mitis calor, sitis moderata, pulsus parum turbatus, respiratio facilis, somnus pacatus signa salutaria merito existimantur. Ex adverso ingens capitis, lumborumque dolor, sitis molesta, sudores uberrimi, vomitus pervicax, anxietas, vigilia, vel sopor, pulsus parvus, debilis, inae-

qualis, respiratio laboriosa, mala. Febris, quae mitis inter initia videtur: saepe infida est: quamobrem et aliis symptomatibus attendendum. Pustularum eruptio praecox, ac praeceps mala. Si paucae in facie variolae erumpant, laudabile signum ducitur. Febre post eruptionem perseverante, vel et se se exacerbante, periculosum. Faucium inflammatio, deglutitio difficilis, respiratio anxia variolarum ad interiora propagationem patefaciunt. Nares, et fauces liberae faustum praesagium praebent. Quo magis rubent areolae, spes tanto aequior: contra, si palleant. Pus album, viscidum, lente flavescens, pustulas replens, bonum: at vero fuscum, tenue, parcius, malum. Melius est faciem aequaliter ubique intumescere, quam sola labia, et palpebras in fastigium attolli. Si, detumescente facie, non intumescant reliquae partes, infaustum praesagium est. Ptyalismi defectus in adultis, convulsiones in infantibus aequum metum incutiunt. Dies frequentius fatalis est octava. Grave autem periculum imminet a febre suppuratoria. Dolor capitis vehemens, virium prostratio, oculorum rubor, iactatio, delirium pessima. Si, invadente febre, suppuratoria sufflaminetur ptyalismus, malum. Alvi fluxus moderatus, utilis; at, si uberior fuerit, perniciosus. Perniciosior et erit, si tormina, deiectiones praecedant, et egerantur faeces puri, aut sanguini intermixtae. Pustularum demum exsiccatio, vel tardior, vel nulla periculum adesse significat.

VII.

Variola maligna non eamdem constanter curandi metodum expostulat, prout diathesi exquisite inflammatoria stipatur, aut nervosa: prout solitaria est, aut aliis affectionibus se se adiungit. Illud autem in primis monendum,

maximam curationis partem in diaetetico regimine esse collocandam.

VIII.

Sydenham suadet, ut aegrotantes extra lectulum maneant, quousque eruptio cutanea non apparuerit: quod quidem praeceptum non omni vacat exceptione. Sane si variola laborans maxima virium prostratione teneatur, et febris sit intensior, vomitus permolestus, et artuum dolores acerbissimi, lectulo tradendus. Semper autem iuvat aërem identidem renovare. Si tempestas mitis fuerit, fenestrae apertae servandae: at si acris hyems saeviat, lenis tepor in cubiculo servandus. Cavendum autem, ne sit calidior, aut nimiis stragulis obtegatur aeger; inde enim et difficilis eruptio fit, et omnes perturbationes exasperantur.

IX.

Si omnia symptomata indicent vitae vires luxuriare, ea praescribere oportet, quae valent apte compescere. Si variola lactentem adorta fuerit, iubendae nutrices, ut a vino, carnibus, aliisque calefacentibus abstineant: in adultis ad validiora auxilia confugiendum. Si febris vehementior urgeat, et pulsus sit durus, validus, frequens, et caetera consentiant, vena secetur. Interdum phlebotomia et infantibus necessaria videtur. Quo in casu hirudines temporibus, vel pone aures, vel brachiis admovendae. Si, celebrata phlebotomia, symptomata non satis mitigentur, iteranda est.

X.

Interea et praescribenda ea, quae refrigerante facultate donantur. Acida vegetabilia, nitras potassae, bi-tartras potassae maxime commendantur. Alvus aperta servetur

lenibus catharticis ore assumptis, vel emmollientibus clysmatibus ad intervalla impositis. Sub vehementem capitis dolorem prosunt cum balnea universalia, tum pediluvia tepida. Interdum et utile fuit caput tondere.

XI.

Contra si diatheseos nervosae indicia appareant, ea administrare expedit, quae vitae vires erigunt. Nausea, vomiturio, lingua muco contecta non illico emetica postulant. At vero ubi haec molestiora fuerint, aut praegressa indicent, ventriculum saburra praegravari, emesis cienda. Quod ubi praestitum fuerit, ea propinanda, quae fatiscentes vitae vires erigunt. Eminent camphora, tinctura antiseptica Huxhamii, infusum serpentariae virginianae, aether sulphuricum, id genus alia.

XII.

Si aeger in soporem propendeat, vel sopore obruatur, epispastica nucae applicanda. Alvi fluxus non semper compescendus, interdum enim cum euphoria obtinet. Verum si colliquans fuerit, ac vires exhauriat, compescendus.

XIII.

Natura ad eruptionem impar ex virium collapsu adiuvanda est cardiacis, diaphoreticis, stimulantibus, stragulis paullo gravioribus, fotubus ex aqua tepida.

XIV.

Cavere expedit, ne ptyalismus, qui adultorum variolas comitari consuevit, vel ob frigus, vel ob praeposterum adstringentium usum supprimatur. Saepe saliva acris est: non itaque deglutienda, simul eius acritas temperanda, ore identidem colluto ope seri lactis, aut decocti hordei, aut althaeae. Ceteris quoque symptomatibus occurrendum

opportunis auxiliis, quae tamen vix aliquam animadversionem desiderant. Ita si vigiliae sint contumacissimae, nec diathesos inflammatoriae indicia praesto sint, ad narcotica confugiendum. Iuvabunt et ipsa in delirio, ac vehementi cephalalgia.

XV.

Variolae maturae interdum utiliter exciduntur ad levandum dolorem, purisque resorptionem praepediendam. Ubi apertae sunt pustulae, vino tepente abstergendae; vel et oleo ex ovorum vitellis expresso illiniendae; crustae diutius haerentes tepidis emollientibus separandae. Aër sit purus, indusia frequenter mutentur, non neglectis necessariis cautionibus, ne aeger refrigerium patiatur.

DE VARIOLIS

Art. III.

PROPHYLAXIS

I.

Non satis est praesentes profligare morbos; summi etiam momenti munus Medicis incumbit futuros praecavere: quod sicuti in aliis, maxime vero in contagiosis morbis omnem exposcit sollicitudinem: hos inter recensentur variolae, cui avertendae, etsi enixe allaboraverint omnes aevi Medici, haud tamen votis cessisse eorum tentamenta dolendum est; neque tutum ad postrema haec usque tempora prophylacticum adversus diram hanc humani generis pestem inventum esse subsidium.

II.

In paucis utique compotes voti fuere, tum omni prorsus sanos inter, et variolosos impedito commercio, tum extructis ad recipiendos variola affectos loemocomiis, tum speciatim apto regimine ita praeparatis corporibus, minus graviter hinc laederentur a contagio suscepto.

III.

Mittimus lubenter ridicula, et vere inter anilia deliramenta reiicienda nonnulla praesidia, uti essent expressio

sanguinis ab umbilicali funiculo in recens enixo infante, mercurialia, antimonialia, moschus, caeteraque ad avertendas variolas ab Auctoribus proposita.

IV.

Devitatio contagii, etsi nonnunquam fauste successerit, alias tamen non item; siquidem constat, alicubi excitata variola, in oppositis etiam eiusdem regionis locis cito eamdem manifestari, et brevi ad proxima loca diffundi: eosque, quibus semel variolam effugere datum fuerat, inopinanter postea ex eadem gravissime multatos fuisse, etiam valde adulta, et interdum iam senescente, aut provecta aetate.

V.

Factum hinc est, ut omnia medentium vota unice ad cicurandam contagii variolosi actionem dirigerentur, ut sic, minus gravibus ex eodem in humano corpore excitatis turbis, minusque funestis redditis affectibus, maior hominum numerus societati servaretur. Quum scilicet indubiis compertum habuerint observationibus, a suscepti contagii variolosi actione multo minus graves haberi variolas, quo magis intemerata sanitate gaudentia corpora adgrederentur, faventibus caeteroquin anni tempestate, corporis habitu, atmospherae constitutione, aetate neque praesentibus ullis morbosis affectibus, aut conditionibus, quibus fit, ut variola gravius statim facessat negotium; hinc nondum variola affectos memoratis praesentibus adiunctis data opera contagio excipiendo exponere sategerunt, quotiescumque benigna grassabatur variola; donec ex Asia in Europam transvecta inoculationis methodo, per puris variolosi insitionem, arte variolam excitare didicerunt.

VI.

Profecto ex salutari hac methodo, quae multos habuit fautores, diffitendum non est plurimam fluxisse in humanum genus utilitatem non eam tamen, ut plene votis satisfaceret, siquidem et malignas inde enatas variolas fuisse, et lethalem ipsarum exitum hinc contigisse, et gravissima subsecuta incommoda, et deformitates, ac vitia observatum passim fuit. Adde, quod (missa exagitata etiam quaestione, utrum liceret morbum arte excitare) plurimae sint vitae conditiones, et adiuncta, ut dentitio, pubertatis, ac menstruationis tempus, scrophulae, graviditas, puerperium, aut alterius cuiuscumque corporis labis praesentia, in quibus casibus variolarum insitionem admittendam non esse consenserint ipsimet acerrimi eiusdem propugnatores, praeter metum, quem ingruere animadversum est, ne in aliquo arte excitata variola eiusdem propagationi faveret.

VII.

Verumtamen, si licet aliquid proferre de controversiis, quae acerrime agitatae sunt inter inoculationis patronos, et adversarios, praeterquamquod ex diariis necrologicis abunde evincitur ipsius utilitas; haud ambigemus adhaerere opinioni Cl. Frank concludentis *Rempublicam ex capto in magnis experimento insignem omnino hac ex operatione fructum percepisse.*

VIII.

Ex hucusque allatis patet, verum prophylacticum subsidium contra variolam in voto semper fuisse, donec immortalis Ienner ex traditione primum edoctus, eos, qui vaccas mulcendo manubus fissis fortuito ex fluido a quadam pustula circa mammarum papillas in comitatu

Glocester potissimum occurrente, quae *variolae vaccinae* nomen nacta est, hunc a vaccis contraxissent morbum, immunes per totam vitam a variolis servari, iteratis atque accuratis experimentis confirmavit unicum variolae humanae prophylacticum in vaccinae insitione rite peracta esse reponendum; ope nimirum lanceolae, vel acus ad id apte conformatae vaccino intinctae fluido cuticulam inter, et cutem humor hic intruditur, quo dehinc eiusdem naturae pustulae producantur numero incisionum ut plurimum respondentes. *Vaccinae* nomen habuit hoc modo excitata affectio: communicandi methodus, seu insitio *vaccinuratio* audit: vaccina detentus *vaccinosus*, *vaccinifer*: qui morbum passus est *vaccinatus* dicitur.

IX.

Sane brevi ubique pervulgata tanta inventi fama penes varias gentes, atque in usum recepta expectationem non fefellit, et millenos, ac millenos homines huius beneficio patriae servatos fuisse est adeo compertum, ut morosi esset, vel minimam de hac re dubitationem iniicere: id enim et in omnibus, et in nostris etiam regionibus, plurium annorum experientia sancitum.

X.

Non diffitemur quamplurimos acerrimos extitisse, et fortasse adhuc existere huius subsidii oppugnatores, plurimasque in medium adductas passim fuisse rationes, quibus eiusdem non tantum inutilitatem, sed detrimentum probare contenderunt. Verum quum argumenta in medio adducta ignorantiam potius sapiant, aut pervicaciam, vel futilibus omnino ratiocinationibus sint suffulta, vix recensere, et refellere opportunum ducimus, quum id iam a quamplurimis, speciatim a Cl. Sacco, et Bu-

NIVA praestitum sit; neque desint qui experientia iam edocti a praeconcepta opinione desciverint. Adeo verum est, et perbelle huc facit quod habet TULLIUS: *opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.*

XI.

Ut vero quam nobis proponimus, et experientia monstravit, assequamur utilitatem, nonnulla animadvertenda. et primo quidem maximi interest vaccinum humorem ex pustula desumere, quum argenteo haec nitens colore rubra circumdata est zona, et limpidus est humor, quod versus octavam generatim ab insitione diem contingit. Tunc ex vacciniferi brachio (media enim brachii pars ad insitionem eligi commodius consuescit) in vaccinurandi brachium acus ope peracta insitio, vix fallit. Caeterum ex capillaribus tubis insumptus servatur ad sat longum tempus. Non desunt etiam observata, quibus constat, veram etiam fuisse productam vaccinam ex iam densato fluido, imo a pulvere exsiccatae vaccinae crustae eodem modo intruso. Quo tamen recentius fluidum, eo semper tutior effectus. Demum ad id etiam attendere praestat, ut ex sano corpore nulla labe inquinato vaccinum fluidum ad vaccinurationem insumatur.

XII.

Insitione facta cutem inter, et cuticulam, cavendum, ne scalpant infantes, aut compressione, maxime si sanguis fluxerit, vaccinum fluidum cum sanguine educant. Mox attendere diligenter oportet ad pustularum decursum, quo veram a spuria vaccina distinguere fas sit: haec enim nullo modo a variola praeservare valet, quo in casu, uti etiam quando effectu caret, insitio iterum, iterumque instituenda. Huiusmodi praetermissae cautio-

nes maxime in caussa fuisse videntur, cur, variola postmodum in vaccinuratis succedente, de vaccinae inutilitate ad praecavendas variolas fuerit pronunciatum, aut nimis fidenter ipsi vaccinae per se spectatae tributa fuerint nonnulla subsecuta incommoda.

XIII.

Pustulae *vaccinae genuinae*, seu *legitimae*, quam rectius *tuberculum vaccinicum* diceres, homini arte, vel fortuito insitae sequens esse solet curriculum. Peracta cum successu insitione versus finem tertii ab infectione diei, vel crebius quarto exordiente nudo oculo iam distinguitur macula pallido-rubra, et quaedam in textu celluloso prominentia, quae cicatricem ambit, unaque tuberculum emicat minimi aciculae capitis aut seminis milii magnitudine rotundum, rubrum, regulare marginibus elevatis, centro depresso, quandoque leviter pruriens. Die quinta macula quaquaversus latescit et cicatricem circuli instar ambit, tuberculum in vesiculam commutatur, quae die sexto et septimo pedetentim volumine augetur, lympham recondens limpidam, viscosam constanter, diaphanam, ad apicem foveolae ad modum deprimitur, ac veluti valva obvallatur, acriusque prurit. Die octava amplior fit et eminet magis vesicula e pluribus cellulis invicem communicantibus conflata et latice lymphatico maiori infarcta faveolam amittit, complanatur, figuram et magnitudinem pisi dimidiati, coloremque margaritaceum adipiscitur, ad basim tantillum tumida et duriuscula halone roseo sensim ampliato, tactu dolente et calente cingitur. Dum haec occurrunt observanda, vaccinurati de molesto pruritu conqueruntur, calent manus, pulsus paullo crebriores micant, pallet facies, sitiunt, glandulae subaxillares tu-

mescunt quandoque, tactuque dolent, verbo pathemata nonnulla adnotantur, quae generalem produnt perturbationem, levemque pyrexiam: rarius graviores incenduntur turbae febriles, tussi sicca, vomitu, diarrhaea aut sudoribus stipatae: hic autem rerum status plerumque nychthemeri aut ad summum bidui spatio dissipatur. A die nona ad undecimam usque tuberculum vaccinale magis assurgit, duas tresque lineas latum, lenticulare super cutem lineam fere eminens, liquore ab initio diaphano et viscoso, serius turbido, albo-flavicante, opaco ac fere purulento refertum, rubore coccineo, et circinatim ad unciarum trium latitudinem excurrente circumscriptum cum aliqua subiectae telae cellularis duritie. In huius periodi vaccinae *acme* constituentis exordio, latex tuberculo reconditus maximam inficiendi potestatem attingit. Die duodecima depressio umbilicalis crustam iam aemulatur, areola pallescit, sensimque decrescit tumor, qui die decimatertia iam magis exsiccatur, et crustam ostendit primo levem, quandoque asperam, duram, corneam etiam decimaquarta die duritiem aequantem, quae sine cruenta laesione vix separari potest. Vinculis tandem sensim solutis sponte secedit crusta circa octavam ab exsiccationis principio diem, foveolam sive cicatricem reliquens planam, circularem, quae microscopio inspecta plura foraminula exhibet, veluti cellularum tuberculum prius componentium vestigia forent: in hoc regulari vaccinae curriculo cuncta stadia possunt discerni, *delitescentiae* nempe, sive *incubationis* ab insitione ad usque diem tertiam absolutam, *eruptionis* a quarta ad octavam; *florescentiae* ab octava ad duodecimam; *exsiccationis* a duodecima ad decimamquintam duratura, quae quidem nonnullis in-

terdum anomaliis patent a perito vaccinatore facile dignoscendis.

XIV.

Multo magis momentosam anomaliam constituunt vaccinae *spuriae*, seu *nothae*, quae a veris, seu legitimis decursu inordinato, ac aliena pustularum forma discrepant, gravibus saepe incommodis stipantur, et variolis humanis praecavendis omnino impares sunt. De *spuria* autem vaccina testantur praecox, prima scilicet, aut altera ab insitione die, ad locum insitionis, vel circum, inflammatio, irritatio, quam vesicula excipit conoides, quae ociter increscit, formam irregularem crenatam, oblongo acuminatam induit, in ambitu intense rubet, ac humorem recondit ichorosum, flavicantem, opacum. Quarto die pustula pisi magnitudinem adipiscitur, nullam tamen offert duritiem, ac ideo sub levissimo tactu rumpitur, humoremque contentum turbidum, saniosum profundit, et protinus evacuatur, ac in crustam abit quinto, sextoque die succedentem, quae ulcus quandoque mali moris relinquit. Penitius indagata pustula unicam tantum offert caveam illis destitutam cellulis vaccinae verae propriis. Caussae autem spuriae vaccinae producendae pares potissimum recensentur insitio materiei a spuria, aut immatura quinta, sextave die, aut nimis vetusta vaccina undecimo die, quo tempore in purulentum laticem spissescit, haustae; vaccinum virus, tempore, calore, luce, aut aëre, aliisque causis effetum redditum: insitio ope lanceolae, acus rubiginosae vel rudi valde manu, aut cruento nimis vulnere, peracta: laceratio, aut simplex compressio vesiculae necdum absolutae, ac normalem amittentis formam.

XV.

Quaesitum est, utrum quacumque in aetate, vitaeque adiuncto tuto possit institui vaccinuratio. Sunt qui prudentius esse existiment ab ea abstinere statim ab ortu, dentitionis tempore, vel si morbus aliquis, ut scrophulae, scorbutus, rachitis, aut alia labes vexat. Verum si forte variola inopinato eos prehendat, his praesentibus conditionibus, annon in graviori statim versabuntur discrimine? Prudenter, et occulate institutam vaccinurationem omni prorsus noxa carere, nullaque egere prophilaxi existimamus. Hinc cur, praesente alicubi variola, aut sub metu tantum, ne ex proximioribus pagis propagetur, indiscriminatim omnibus, qui variolam non sunt passi, vaccinurationem merito suadendam esse censeamus.

DE VARICELLA

I.

Pustulosam cutis affectionem sistit varicella (spuriam variolam alii vocant, vel variolam lymphaticam: Galli *petite vérole volante*, *la vérolette*: Itali *morbiglione*, *ravaglione*, *vaiuolo selvatico*: nostrates *ravanelle*, exanthema nempe primarium, contagiosum, quod constituunt papulae post brevem febriculam erumpentes in pustulas variolae ferme similes, sed vix in suppurationem abeuntes, post paucos dies in crustas desinentes brevi deciduas.

II.

Semel tantum per vitam generatim adgreditur varicella, atque epidemice grassari consuevit, necnon infantes, ac pueros praesertim corripere.

III.

Etsi aliquando varicellam absque prodromis signis invasisse sit animadversum; frequentius tamen ipsam praecedere solent languor, morositas, inertia, perfrigerationes, anorexia, lassitudo, vagi hinc inde discurrentes modo pungentes, modo gravativi dolores, quibus nausea, tussis, raucedo nonnumquam accedunt, miti dein excitata febre. Rarioribus in casibus graviora contingunt symptomata, febris nempe intensa, faciei inflatio, vomitus, oculorum rubor, convulsiones, aut leve delirium.

IV.

Iam vero, vix nycthemero elapso, exanthema erumpit sub forma macularum exilium, rubicundarum, quae

cito augentur, ac in pustulas, aut vesiculas rubro persaepe halone circumdatas abeunt, latice puriformi, aut lymphatico repletas ad usque pisi, et ultra magnitudinem increscentes. Pustulae huiusmodi vix umquam confluentes sunt, dorsum, membra primum, faciem hinc, et reliquum corpus tenent, ne ipsa parte capillata capitis, ac genitalibus exceptis.

V.

Peracta eruptione, quae saepe pruritu stipatur, febris vel sensim imminuitur, vel omnino cessat; imo sunt casus, in quibus haec prorsus abfuit. Quarto die maturationis culmen adeptae pustulae exsiccari incipiunt.

VI.

Contingit frequenter observare, dum priores iam exsicccantur pustulae, alias ad cutim erumpere similem prorsus emetientes decursum; hocque peracto, recentiores alias prodire ita, ut morbus ad duas, tresve hebdomadas producatur. Vix umquam tamen, etsi sat copiosae sint pustulae, notare est febrem suppuratoriam, ut in variolis contingit.

VII.

Triplex ab auctoribus notatur varicellae forma: ad primam pertinet varicella *aquosa*, *crystallina*, *lenticularis*, quae nodulos parvos exhibet ovales, in vesiculas abeuntes latice lymphatico, pellucido repletas, quae partim corrugantur, partim dehiscunt circa sextam diem, mox crustas brunneas efformant decima die deciduas, vix ulla cicatrice relicta.

VIII.

Ad alteram referunt pustulas variolis veris interdum ampliores, haemisphericas, rubello halone circum-

scriptas liquorem ab initio diaphanum, serius flavescentem, ac turbidum continentes, quae tertio die collabuntur, exsiccantur, et in crustas nigricantes abeunt post quinque dies deciduas, foveolas non raro in cute relinquentes. Varicellam *globatam*, *suillam*, *ovillam* hanc dixerunt.

IX.

Tertiam demum formam constituit varicella *acuminata*, *verrucosa*, *conoidea* dicta. Pustulae in hac prominent colliculorum instar, diaphanam prima die lympham, hinc humorem straminei coloris colligunt, circulo inflammatorio circumscriptae, mox corrugatae gummosa teguntur crusta, qua in die magis solidescente, verrucarum ferme duritiem adipiscuntur, et post hebdomadam secedunt, cicatricibus relictis. Tres memoratas formas eodem in corpore simul commisceri observationibus traditum est.

X.

Interim summi omnino momenti est cavere, ne varicella aliquanto vehementioribus ab initio stipata coniunctis pro vera variola imponat, ne scilicet fiat, ut varicella pro secunda vice contracta variola sumatur, aut de inutilitate vaccinae arguatur, ut testes fuimus id contendisse celebrem caeteroquin clinicum, aut quod magis dolendum, varicellam passi a vaccinuratione detorqueantur.

XI.

Diagnosi facilius assequendae iuvabit consideratio sequentium, quae inter variolam, et varicellam intercedunt, discriminum: variola nempe circa quartum diem; varicella secundo ab invasione erumpit: illa stadia re-

gularia absolvit, non item haec, siquidem, prioribus iam pustulis exsiccatis, novae aliae erumpunt: zona rubra in variola nonnisi versus stadium suppurationis manifestatur; in varicella statim ab eruptione se prodit: illa specificum spargit odorem; nullus in hac animadvertitur, atque febre suppuratoria caret, et multo citius exsiccatio contingit contra ac in variola, in qua ante nonum diem non animadvertitur. Demum in variola quae relinquuntur foveae, et cicatrices cuti concolores, inaequales, asperitate donatae, saepe punctis nigris notatae sunt, perstantes cum vita; in varicella foveae, si quae relinquuntur candidae, regulares, laeves nulla exhibent puncta, ac temporis lapsu generatim omnino evanescunt.

XII.

Humano generi sicuti ad variolam, ita et ad varicellam innata est praedispositio. Occasionalem vero causam sistit contagium sui generis, cuius vehiculum videtur lymphaticus, aut puriformis latex, quem pustulae recundunt. Verae variolae hybridam progeniem esse varicellam, sunt qui non a probabilitate alienum esse autument. Utrum vero a contagio varioloso varicellae contagium discrepet, an eiusdem modificationem sistat, quaeque adiuncta ad eiusdem originem conspirent, haud satis manifestum est.

XIII.

Peculiaris variolarum modificatio observata est ab auctoribus post vaccinae incompletum decursum, quam variolam vaccinicam dixerunt. Hanc tum quoad decursum, tum quoad formam, et symptomata cum varicella convenire censet Hildebrand.

XIV.

Periculi prorsus expers exanthema sistit varicella: etsi enim interdum vehementioribus visa est stipata symptomatibus, ac febre ad quartum usque, aut quintum diem comitata, uti et doloribus ad dorsum, et ad articulos, corporis lassitudine, aut gravitate, caeteris; haec tamen eius generis sunt, ut vix umquam in morbo non complicato aliquem incutiant metum.

XV.

Quum varicella in se spectata sistat affectionem omnino levem, eiusque generis sit exanthema, ut eadem correpti omni discrimine sint expertes; consequitur, indicationes, quae se se offerunt, eo tantum generatim spectare, ut symptomatum nonnullorum vehementiae compescendae prospiciatur non minus, quam devitandis, atque arcendis causis illis omnibus, quae functionum exercitio molestiam quacumque, aut impedimentum afferre valent. Quapropter potus diluentes, temperantes, diaeta peculiaribus aegri adiunctis adcommodata, temperata atmosphaera, in qua degit aegrotans, cui facile concedendum, ut e lecto surgat; diaphoreticorum, eccoproticorum, nonnunquam emeticorum, alias anthelminticorum pro indicationum varietate administratio ea sunt, quae totam curationis paginam absolvunt. Interim fatendum est, generatim quam plurimos per se convalescere absque ullo artis auxilio. Caeterum inconsuetis aliquando symptomatibus intercurrentibus, non secus ac morbosis accedentibus complexibus iuxta generales therapeutices regulas a medente prospiciendum.

DE PETECHIIS

I.

Utlibet gravissimi pathologi *Petechias* symptomaticum semper sistere morbum autument, primarium tamen ac essentialem vere ipsas constituere a peculiari specifico contagio genitum, collatae multorum, italorum potissimum Rasori, Tommasini, Omodei, Acerbi, Speranza, Galli observationes in propatulo posuere.

II.

Petechiae a *pedechio* itala voce pulicum morsus innuente, ducta, exanthema constituunt, quod, in exiguis maculis lentium magnitudine per cutim dispersis, raro supra ipsa eminentibus, plerumque planis, puniceis, fuscis, quandoque liventibus, violaceis, nigrescentibus, persaepe rotundis nunc puncta, nunc pulicum morsum referentibus nisi quod puncto medio careant insecti morsum indicante, neque a pressu aut affrictu evanescant aut indusia maculent, pruritu carentibus, universam cutim, raro tamen faciem, saepissime iugulum, pectus ac cubitum obsidentibus, consistit.

III.

Diducuntur porro petechiae in *primarias*, *symptomati-*

cas, quibus et *criticas* addunt nonnulli. Primariae specialem morbum exhibent, et perinde ac caetera primaria exanthemata praefinita emetiuntur stadia: symptomaticae febribus aut continuis, aut intermittentibus, aliisque morbis, ut alia symptomata superveniunt: criticas etiam versus febrium acutarum finem, cum omnium symptomatum levamine prodire traditum. Dividuntur praeterea in *benignas*, et *malignas*; *regulares*, et *anomalas*; *sporadicas*, *endemicas*, et *epidemicas*; *simplices*, et *complicatas*. Aliquando enim solae, et purae; aliquando cum aliis morbis mixtae comparent.

Si cum aliis morbis, caeterisque exanthematibus primariis complicentur, inter initia se offerunt, et sua stadia persolvunt; ideoque cum peticulis symptomaticis confundi non debent, quae in decursu morborum manifestantur, et quibus certa stadia percurrenda non sunt. Sed iure animadvertit Burserius, quod licet peticulae interdum complicentur cum peste, frequentius in hac maculae ad ecchymoses, et gangraenulas pertinent, quae totidem sunt morbi symptomata.

Idem affirmandum de petechiis, quae cum malignis variolis consociantur, saepe enim sunt potius symptomaticae, diffusae, ecchymoses referentes, et summam morbi malignitatem produnt.

IV.

Suscepto petechiali contagio, prodromis nonnullis praenuntiari prius, petechiae solent pathematibus per aliquot dies, quam morbus evolvatur. Huiusmodi sunt lassitudo aut totius corporis, aut lumborum, et dorsi; tristitia; capitis gravitas, aut obtusus dolor; lumborum, et ossium cruciatus, modo fixi, modo vagi; nausea;

ad vomitum propensio; ardor faucium, oculorum; genarum rubor; agrypnia; anxietas circa praecordia; horrores circa lumbos; magna interdum virium deiectio; animi deliquia.

V.

Prodroma memorata pathemata excipit febris horrore plerumque orsa, cui succedit calor, persaepe tactui levis, molestus aegrotantibus. Frequentius primis morbi diebus, interdum usque ad eius inclinationem horror, et calor alternant. Si considerentur epidemiarum historiae, sub vario aspectu, varioque typo febrem se prodere colligitur.

Subinde enim sub initio est vehemens, eiusque symptomata gravia; subinde miti calore, et exigua celeritate pulsus levitatem simulat. Verum quaedam adducit symptomata, ut universalem lassitudinem, mentis aberrationem, quibus suam indolem patefacit.

Typus autem etsi varius, dummodo morbus non complicetur, utplurimum febrem continuam remittentem quotidianam, aut tritaeophyam offert, cuius accessiones saepe horroribus, remissiones sudoribus distinguuntur. Sed huiusmodi accessionum, et remissionum ordo, nec constans est, nec semper perspicuus.

Illae enim aliquando ordinatae sunt in initio, aliquando in progressu; aliquando apertae prius, deinde obscurae fiunt. Quoniam vero contingere potest, quod accessiones quodam ordine horroribus incipiant, et sudoribus terminentur remissiones, cavendum est, ne ab hac intermittentis larva decipiamur; hinc ad omnia attendendum est; ubi enim petechiae epidemicae regnant; ubi prodeant exposita praenuncia signa, et deinde ag-

grediatur febris, quae, licet accessionibus, et remissionibus distincta, continua sit; ubi sudores non solum in declinatione accessionum, sed etiam alio tempore profusi, et exhaurientes erumpant; ubi urinae, quamvis turbidae, tamen lateritiae non sint, quaevis evanescit ambiguitas. Summa varietas, quam saepe febris petechiarum exhibet, vel ab aliqua complicatione, vel ab epidemiae ingenio, vel ab anni tempestatibus, vel a repentinis aëris vicissitudinibus, vel ab aegrotanti temperie proficiscitur.

VI.

Evoluta febre, omnia prodroma signa graviora fiunt, hisque alia adnectuntur. Augetur ideo lassitudo, praecordiorum gravitas, dolores capitis, colli, lumborum, artuum, nausea, vigilia, sopor.

Si violenta sit febris, mens aliquantum aberrat; facies rubescere, et tumescere incipit; tinniunt aures; respiratio inaequalis, difficilis, suspiriosa; oculi dolent, rubent, et lucem non ferunt; si ab initio febris gravissima appareat, color faciei est ater, et fere plumbeus; summa est debilitas; anima faetet; sudores, et excrementa tetrum odorem emittunt; et alia symptomata inter se opposita prodeunt, ut lingua humida, et multa sitis; vel lingua arida, et nulla sitis; calor internus urens, externus mitis, vixque sensibilis. Sub tanta febris varietate etiam pulsus diversi se proferunt, licet ut plurimum debiles, celeres, molles, inaequales sint. Validiores, et duri solum reperiuntur, ubi adsit inflammatoria diathesis, et aegri constitutio plethorica sit, et robusta. Plerumque in initio accessionum parvi sunt, et celeres; in augmento elatiores. Interdum du-

rities pulsus cito desinit; interdum usque ad morbi finem persistit.

Quandoque, detracto sanguine, pulsus prius duri statim evadunt debiles, tremuli, inaequales. Missus sanguis varius est; modo enim a naturali colore, et crasi non recedit; modo crassamento; modo luteo, et viridi sero abundat; modo est nigricans, tenuis, solutus, et cito corrumpitur; modo crassamentum est molle copioso sero innatans, et flava tenui crusta obductum; modo est firmum, et crusta phlogistica tectum. Alvus nunc adstricta, nunc soluta, nunc naturalem, et consuetum ordinem servat. Ubi complicetur gastrica diathesis, praeter signa huiusce propria observantur deiectiones foetidae, acres, flavae, nigricantes, saepe cum vermibus mixtae.

Ubi adest inflammatoria diathesis praeter pulsus duros, vehementem febrem, gravis vexat capitis dolor, aut pectoris cum tussi, et aliquando sputo cruento.

VII.

Primum stadium excipit petechiarum eruptio, quam exacerbatio symptomatum, et convulsivi motus, delirium, tendinum subsultus praecurrunt.

Si morbus regularis sit intra quartam, et septimam diem absolvitur eruptio. In anomalis modo celerius, modo tardius petechiae efflorescunt.

Hae enim nunc ante ipsam febris invasionem, prima scilicet, secunda, aut tertia morbi die; nunc undecima, aut decima quarta apparent. Generatim primum ad collum, pectus, et brachia; deinde ad dorsum, crura, et tandem ad reliquas partes erumpunt, citra faciem utplurimum; tamen in hac petechias observasse, plures

affirmant. Illae vero, quas alii circa labia, et fauces, et in oris cavo perspexerunt, non ad peticulas veras, sed ad ecchymomata pertinent. Aliquando cuipiam parti circumscribitur eruptio; hinc aut solis brachiis, aut in pectore, aut in extremitatibus inferioribus se produnt petechiae: aliquando ordine inverso procedit, et a femoribus exordiens ad superiores dein partes extenditur.

Quandoque ita sub epidermide absconduntur peticulae, ut nisi repetita, et obliqua inspectione perspici non possint. Interdum comparent, et paullo post e conspectu se subripiunt; et pluries redeunt, deceduntque.

VIII.

Petechiae autem quoad colorem, magnitudinem, figuram, et copiam valde differunt. Tamen verae exigua punctula, aut maculas subrotundas, illis ex morsu pulicum productis similes referunt; si enim diffluant, et lentes magnitudine excedant, ad ecchymomata spectant.

Petechiae licet persaepe innumerae, tamen distinctae, et discretae sunt. Rarissime ita confluunt ut agminatae maiores maculas constituant. Nonnunquam in uno, eodemque aegrotante varii coloris erumpunt. Iacent sub epidermide, nec infra cutim descendunt; quamvis Diemembroechius, eas esse valde profundiores, et conicas affirmet, quarum apex est in cute, basis tam profunda, ut ad ossa penetret: saepius papularum rubrarum forma supra cutim assurgere diligentes observatores, Hildebrand potissimum perspexere.

IX.

Eruptione absoluta omnia mitescunt symptomata in beni-

gnis petechiis et ipsa febris minuitur; sed permanet ut plurimum exacerbationibus, et remissionibus distincta. In petechiis vero, quas Burserius mediae naturae appellat, alia post eruptionem symptomata mitiora fiunt, alia intensiora, aut eamdem intensitatem servant, ut delirium, subsultus tendinum, pulsuum parvitas, qui in benignis validiores, et elatiores evadunt. Post efflorescentiam malignarum petechiarum omnia exasperantur, ac alia accedunt lethalia symptomata, intenditur febris, eiusque periodus saepissime obscuratur, collabuntur pulsus, et inaequales, et quandoque intermittentes fiunt, quandoque rari, et tardi; oculi rubent, et lacrymantur; accedunt convulsiones, delirium, tendinum subsultus, tinnitus aurium, surditas, anxietas ingens; lingua fit arida, aspera, nigricans, aphtosa; halitus foetet; dentes, et labia sordescunt; nunc opprimit sopor, nunc pervigilium, nunc cum sopore insensibilitas coniungitur; intumescit venter cum urinae suppressione; aliquando aegri aversantur potum, etsi lingua sit arida, et sitis urgeat; extremitates, aut universum corpus friget. Saepe sub eruptione, aut post eam inflammationes evolvuntur, ut anginae, peripneumoniae, encephalitis, quae funestum finem saepe sollicitant. Si petechiae complicentur, aut cum vermibus, aut cum gastricis sordibus, aut cum aliis exanthematibus; post eruptionem, aut perstent, aut pacatiora, aut asperiora fiant symptomata, alia adsunt illorum morborum propria. Si absoluta eruptione aliquod exanthema sit proditurum, iterum ingravescit febris, et convulsivi motus, pervigilium, delirium, respiratio laboriosa saepe praesto sunt. Haec autem phaenomena, erupto exanthema-

te, si mitis sit naturae, aut sedantur, aut desinunt.

X.

Benignarum, et malignarum petechiarum pathematibus expensis, facile haec, nisi gradu differre, liquet. Praeter autem symptomata, eruptionis modus, et exanthematis color observandus est, ut naturam morbi benignam, vel malignam assequamur: in benignis enim petechiis eruptio, quae mitiorem febrem sequitur, est facilis, regularis, in collo, pectore, brachiis incipiens; mox per universum corpus ad manus usque, et pedes paullatim se diffundens, et plerumque decima quarta die lente evanescit. Dum autem versus finem petechiae excolores fiunt, pulsus validiores evadunt, respiratio facilis, et madida cutis. Color benignarum petechiarum ruber, et roseus est. Ex adverso malignarum eruptio est difficilis, irregularis, sera; et post eam non solum febris magis intenditur, sed omnia ingravescunt, et alia, ut vidimus, gravissima symptomata apparent. Earum color est saepe lividus, violaceus, nigricans.

Tam benignae, quam malignae petechiae primariae a symptomaticis sedulo distingui debent. Illae, ut supra diximus, mature efflorescunt, et sua stadia, ut caetera primaria exanthemata absolvunt; nec ultra producuntur, si simplices sint, et regulares: hae autem serius, et persaepe circa morborum statum, et finem erumpunt; in febribus typhodibus petechiae serius ocyus frequenter prorumpunt, ut plurimum a maligna morbi indole, aut a gastrica complicatione productae.

Petechiae autem primariae ab aliis exanthematibus propriis distinguuntur notis: supra cutim quippe raro eminent, nec eam asperam reddunt, nec dolent, nec

pruriunt, nec exulcerantur, neque in desquamationem abeunt.

Petechiis denata corpora vix quidpiam per autopsiam exhibent; saepius tamen aliqua labes invenitur. Ioseph Franchius in cadaveribus peticulas superstites vidit. Forestus, aliique de peticulis post mortem comparentibus testantur.

Stollius peticulas internas in meningibus, pleura, pericardio, diaphragmate, et in ipso corde observavit; has autem petechias post mortem apparentes, nec non internas, non esse nisi ecchymomata, quae saepe in ipso mortis momento se produnt credibile prorsus. Frequenter vasa meningum atro sanguine turgida reperiuntur, unde illarum fuscus color. In cerebro praegressae inflammationis vestigia, et abscessus; in ventriculo, et intestinis maculae nigrae; in pulmonibus, et in visceribus abdominis apostemata, et gangraenae; vasa hepatis nigro, et soluto sanguine distenta cernuntur. Citissime corrumpuntur cadavera, quae saepe in externa superficie maculas latas, lividas, nigricantes praeseferunt.

XI.

Petechiarum primariarum caussa est specificum contagium quod nerveum potissimum systema impetit, unde febris, et nervosa symptomata promanant a peculiari contagio excita; peculiarem ipsae morbum constituunt; per praefinita stadia, ut alia exanthemata, absolvunt cursum; figuram subrotundam constanter offerunt; et vix unquam confluentes comparent: ex contagioso principio humorum, et sanguinis vitiatur crasis, unde frequenter haemorrhagiae, gangraenae, et alia

lethalia symptomata oriuntur. Dum petechiae epidemice regnant, hae etiam cum morbis intercurrentibus observantur; si extemplo petechiae evanescant, manifestantur exitiosa symptomata; et modo ad cerebrum, nervos, et viscera nobilia impetus fit. Symptomaticae petechiae determinata stadia haud emetiuntur, figuram tam constantem non habent; saepe sunt effusae; et aliquantisper super cutem eminent. Praeterea dum sunt alicuius morbi etsi epidemici symptoma, aliis intercurrentibus morbis non coniunguntur.

XII.

Petechiae primariae homines corripiunt cuiuscumque aetatis, temperamenti, generis. Pro varia vero epidemiarum indole nunc mares, nunc foeminae, nunc iuvenes, et pueri, nunc senes, et debiles magis conflictantur magisque periclitantur. Ut plurimum vero magis iuvenes, et robusti, quam senes, et debiles afficiuntur, et in vitae discrimen coniiciuntur. Nulli parcunt regioni petechiae: modo enim elatiora, et salubria loca; modo humilia, palustria; et insalubria peragrant, et saeviunt. Ast plerumque initium habent ab egenis, qui humiles, sordidas, humidasque domos habitant; ac deinde in alias cuiuscumque conditiones homines propagantur, grassanturque epidemice. Aegrius petechiis plectuntur qui semel ipsas passi sunt. Ait ad hanc rem, summus Burserius; « Verumtamen haud inficior, qui « semel peticulari morbo perfuncti sunt, difficilius, et « multo minus eodem infici ».

Equidem multiplices esse videntur caussae, quae efficiunt, ut contagii effecta promptius, et facilius patiantur corpora. Huiusmodi caussae sunt quaedam aëris

constitutio, ut calido-humida; frequens ventorum meridionalium spiramentum; aëris impuritas; annonae caritas; pravi cibi, et potus; inundationes; quaedam animi pathemata, ut moeror; intemperantia; abusus veneris; vigiliae nimis protractae, immodici labores; laxa temperies. Si ex istis caussis generalis sit alicuius influxus, petechiae evadunt epidemicae; sin minus sporadicae. Cum autem ex iisdem caussis alii etiam manant morbi, hinc saepe cnm his complicantur petechiae, ut cum rheumatica, inflammatoria diathesi, gastrica, verminosa colluvie, praecipue si hisce faveat aëris constitutio. Etiam ob harum caussarum vim petechiale contagium plus, aut minus efficaciter agit.

XII.

Petechiae primariaë periculosae sunt. Maius vero aut minus periculum, ab earum colore, numero, eruptione, symptomatibus, epidemiae ingenio deducitur. Hinc observandum est, an peticulae benignae sint, vel malignae; regulares vel irregulares. Quamvis vero benignae, et regulares tutiores habendae sunt, tamen non adeo iis confidere debemus, ut nihil timendum esse arbitremur. Utplurimum vero in petechiis benignis febris cum levis sit et mitia symptomata, pulsus aequalis, validus; respiratio facilis; eruptio regularis, et gradatim fit, nempe prius in partibus superioribus, deinde in inferioribus; exanthema discretum, circumscriptum, rubrum, sat diu perstans; mox paullatim pallescens, et vel levi diaphoresi, vel modico alvi fluxu, vel placido aegrotantium sopore evanescens; nullum impendet periculum: Malignae vero, et irregulares vitam saepe in extremum adducunt; quod a gravissimis, evidentibus symptomatibus eruitur: haec

autem praecipue sunt magna virium deiectio; irregularitas, debilitas, intermittentia pulsus; respiratio difficilis; lingua sicca, arida, nigra, tremula et nulla sitis; eruptio, aut praecox, aut tardior; exanthema diffusum, lividum, nigricans, ex nigro virescens, fugax, intro refluens; vibices nigricantes, livescentes; maior symptomatum gravitas post eruptionem, et alia supervenientia, ut spasmi, convulsiones, singultus, delirium, inflammationes, gangraenae, ulcera depascentia faucium, quae ad aesophagum, et laryngem extenduntur; urina aut tenuis, aut nigricans, aut sanguini mixta, aut eius secretio supprimitur; tumor abdominis; deiectiones involuntariae, foetidissimae; profusae haemorragiae; animi deliquia; tendinum subsultus; nervorum distensiones; vigiliae, aut profundus sopor; sudor frigidus, viscidus; facies cadaverosa; extremitatum frigus. Quoniam vero numerus, et color petechiarum peculiarem considerationem merentur, peiores esse copiosas, confluentes exiguas, fere absconditas, et non visibiles, nisi oculis oblique tuentibus; tutiores discretas, et circumscriptas: sic periculosiores esse nigras, plumbeas, livescentes, atro-virescentes; meliores laete rubras, sed non ruberrimas, et puniceas consequitur.

Aliquando petechiae praepropere e conspectu evolant, et ab earum retrocessu gravissima consequuntur phaenomena, quorum saepe finis, ut Burserius inquit, mors ipsa est. Observandum igitur, an symptomata insurgant maximam aleam denotantia, ut delirium, convulsiones, spasmi, respirandi labor, pectoris oppressio. Aliquando post hunc retrocessum nullum gravius symptoma apparet, quod superveniant salutares evacuationes, ut modicus

alvi fluxus, urina copiosa, sudor, quae a periculo mortis vindicant. Tandem cum morbus ad inclinationem vergit, non raro obveniunt salutiferae crises, aut sine evidenti crisi resolvitur, ut in benignis, et regularibus in quibus sub finem secundae hebdomadae, aut citius, decrescit febris, pulsus aequaliores, et elatiores fiunt, et omnia gradatim minuuntur symptomata.

Interdum vero aut universali calido, et aequali sudore, aut haemorrhagiis, praesertim narium in plethoricis, et iuvenibus, aut urina copiosa, et saepe sedimentosa, aut egestionibus, aut abscessu parotidum, aliarumque glandularum, aut pustulis circa labia feliciter petechiae iudicantur: harum iudicationum utilitas ab imminutione febris, et omnium symptomatum nullo negotio deprehenditur. Ubi adest complicatio gastrica in ipso morbi decursu frequenter materiae biliosae liquidae, foetidae deiiciuntur, quae vero sub finem prius minus frequentes, et olentes, deinde ad naturalem colorem, et consistentiam redeunt. Aliquando morbi decursus lentior est, qui ad finem tertiae, aut quartae haebdomadae extenditur; sed utplurimum decimam quartam, aut vigesimam primam diem non excedit: pustularum eruptiones, gangraenae externarum partium, praecipue circa os sacrum, et nates; tumores, et abscessus parotidum, aliarumque glandularum; aedemata, quae morbi levamen afferunt, ut totidem salutares crises habenda sunt. Saepe post morbum diutina est convalescentia, potissimum si malignae fuerint petechiae, ob virium debilitatem, pluraque incommoda, quae aliquando supersunt.

XIV.

Quoad petechiarum primariarum curationem attinet, quoniam hae aut benignae, aut malignae, aut simplices, aut complicatae sunt; urgent interdum symptomata, quae peculiarem sibi vindicant rationem, sicuti et varium temperamentum, aetas, habitus aegrotantium; diversa et annua, et epidemica constitutio; hinc varia esse possunt praesidia, quae opportuna videntur; tamen curatio simplicissima erit, si petechiae sint benignae, regulares, simplices, quemadmodum scite ad rem inquit Burserius: — *Cum vero natura, ut vera morborum curatrix, sibi primum locum vindicet, simplicissima certe methodo uti expedit, quae ei quidem auxilietur, non imperet.*

Experientia enim vero saepissime demonstravit, eos, qui naturae rem commiserunt, felicius, faciliusque de morbo triumphasse. Idque probe tenendum imprimis, ubi petechiae benignae, regulares, purae minusque complicatae sunt, naturae committendas, ut ipse Burserius affirmat. — *Ego quoque pluries in huiusmodi morbo naturae efficacitatem admiratus sum, vidique plus prudenter cunctando, quam agendo profectum esse.* Id praesertim pauperibus usuvenit, qui et rarius a Medicis curantur, et paucissimis uti solent remediis. — Etiam Giannini medendi simplicitatem celebrat, dum inquit, remedia in hunc morbum esse tantum palliativa, circumscripta, imperfecta; nam eius caussa contagium, est, quod invictae naturae esse apud pathologos consentit. Hinc curatio morbi potius a natura, quam ab arte absolvitur; ideo minus operositas, et artis sapientia prodest, quam inscitia, et cunctatio nocet. Frigidas immersiones commendat Giannini, has ut eminens palliativum remedium

habet; plerique vero practici, quamvis remediorum simplicitatem commendent, immersiones frigidas universim non admittunt atque cautissime omnino usurpandas utpote discrimine plenas monent; maxima enim est varietas contagii effectuum quoad aegri aetatem, temperiem, habitum, vires, symptomata, complicationes, et epidemicae constitutionis indolem quae omnia libranda in huius ac caeterorum remediorum rationali usu. Generalis phlebotomia in universum raro conducit; haec enim vires infirmat, nervorum sensibilitatem auget, unde facilius evolvuntur nervosa symptomata. Quocirca tunc tantum celebranda, ubi eam exposcat aegri constitutio plethorica, robur, aetas iuvenilis; pulsus sint duri, magni, excruciet capitis dolor, aut delirium, ab orgasmo aut ab aliqua inflammatione productum, quod a calore frontis, rubore faciei, vehementi arteriarum temporalium, et carotidum pulsatione, oculis rubris elicitur, respiratio sit difficilis cum dolore pectoris punctorio, tussi, et sputo sanguineo, aut aliqua inflammatio fauces, et viscera invadat. Nonnulli ad removendam encephalitidem ante petechiarum eruptionem, venam iugularem, aut frontalem tundere praecipiunt. Si vero aliqua viscerum inflammatio instet, etiam post eruptionem, venam secare fas est. Phlebotomia autem semper statui virium, aetati, temperamento aliisque adiunctis contemperanda, sique virium status generalem phlebotomiam prohibeat, admovere hirudines, aut scarificatas cucurbitulas tutius erit.

Inter initia morbi saepe emetica maximo sunt emolumento, hisce enim praeter contagium, quod haerens excutitur non raro exscinditur morbus, quem gravia comitantur symptomata. Iuvat propterea emeticum, si sordes

praegravent ventriculum, aut biliosa obtineat colluvies; sed si signa potius saburras in intestinis latitantes demonstrent, satius est ante exanthematis eruptionem leve purgans porrigere. Hac vero incepta, alvus non amplius sollicitanda, nisi necessitas cogat ac lenissimis utendum catharticis: clysteres saepe scopo faciunt satis. Burserius casus recenset ubi purgatio est iteranda etsi turgentis saburrae desint indicia, inquiens: — *Sunt tamen casus in quibus, etsi saburra non turgeat, purgationem lenem iterare meo quidem iudicio licet; nimirum evanescentibus petechiis et morbo inclinante, aut metastasi ad interiora, aut ad caput imminente, aut tum, cum urinae e turbidis, et crassis repente tenues, et crudae fiunt, nulla alia excretione earum vice fungente.* — Si vero hi casus excipiantur, et ubi iterum saburrae, et faeces in intestinis colligantur, purgatio iteranda non est, quae vires prosterneret, irritumque redderet naturae opus. In quovis autem casu leve esse debet purgans exhibendum, ut cremor tartari, manna, pulpa cassiae, tamarindorum, rhabarbarum, secus non solum naturae vires, sed etiam petechiarum eruptionem impediret, et exitiosum alvi fluxum produceret. Hisce praestitis therapeia usu diluentium, temperantium, subacidorum, ac lenium diapnoicorum tota continetur. Potiones autem ex succo citri medicae, et aurantii utiles sunt, et iucundae, quemadmodum illae ex mineralibus acidis dilutis et edulcatis confectae. Versus morbi finem ut plurimam levia diaphoretica conducunt, ut infusum florum sambuci, acetas ammoniacae, haustus salinus; Collabentes autem vitales vires cardiacis, excitantibus instaurandae.

Inter praesidia, quae in curatione petechiarum etiam

conferunt recensentur vesicantia, epispastica, frictiones, cucurbitulae siccae, fotus. Quoad vero vesicantium usum necessaria opus est animadversione. De horum enim utilitate consentiunt omnes, si tarda sit peticularum eruptio, si hae retrocesserint; si natura torpeat; si metastaseos periculum subsit; si caput, aut pectus graviter afficiatur. Haec autem in unoquoque morbi stadio, et in variis corporis partibus apponi pro re nata possunt, scilicet brachiis, femoribus, cruribus, collo, pectori dorso. Cum vero in diversis epidemiis varium morbus induat characterem, hinc modo utilia, modo nocua vesicantia sunt. Itaque illarum ingenium naviter spectandum est. Denique ad lentam eruptionem exanthematis sollicitandam et ad retropulsas petechias extrorsum avocandas sinapismata, frictiones; cucurbitulae siccae, fotus celebrantur.

Plures fuerunt expertissimi practici, imprimis Neapolitani, qui in omni petechiarum stadio aqua frigida, et nivata usi sunt; ac in diaeta aquea, nullo nempe alio medicamento, et alimento, aut certe tenuissimo adhibito; totam curationem posuerunt. Quamvis vero huiusmodi methodus felices obtinuerit exitus, tamen aliquando detrimentum attulit, ac veluti anceps omnino praesidium habendum caute usurpandum. Ubi maxime deiiciantur vires, adsit solidorum laxitas, nervorum sensibilitas, humorum ad spontaneas evolvendas adfinitates pronitas, periculum gangraenae immineat, tonica, cardiaca, antiseptica expediunt, ceu cortex peruvianus, vinum generosum, idque genus alia excitantia praesidia.

XV.

Nonnulla saepe symptomata sunt, quae peculiarem sibi considerationem, vindicant et exposcunt ut vigiliae,

sopores, dolores faucium; pectoris, aliarumque partium, singultus, vomitus, tussis, respiratio difficilis, diarrhoea, urinae suppressio, sudores profusi, haemorrhagiae, convulsiones, meteorismus, inflammationes, gangraenae. Cum vero symptomata haec a varia sobolescere queant causa; modo enim a malignitate morbi, vel a summo virium collapsu, et fibrarum atonia, vel a nimia nervorum sensibilitate, vel a petechiarum retrocessu, vel a complicatione aliqua, hinc prius causa diligenter perquirenda. Quae pendent a maligna morbi indole, et nimia nervorum sensibilitate, ut spasmi, convulsiones, proclivitas humorum septica, gangraenae, praecipue tonica, antispasmodica antiseptica exposcunt; quae a virium deiectione, et atonia fibrarum, ut meteorismus, diarrhoea, sudores, tonica, cardiaca, et carminantia; quae a petechiarum retrocessu, ut angustia pectoris, dolores, laboriosa respiratio, levia diaphoretica, vesicantia, sinapismata requirunt; quae a complicatione gastrica, et verminosa, ut singultus, vomitus, diarrhoea, meteorismus, mitia emetica, purgantia, anthelmintica, clysteres, fotus efflagitant; quae a complicatione inflammatoria, ut ab inflammatione ventriculi dolor regionis epigastricae, singultus vomitus; ab inflammatione pulmonum dolor pectoris, tussis, respiratio difficilis, sanguinis missiones, demulcentia, temperantia, lenia laxantia, fotus emollientes, et deinde vesicantia requirunt. Pro vesicali ischuria, quae frequenter in hoc morbo supervenit, quin subito ad catheterem confugiamus, usurpandae prius unctiones oleosae, fomenta emollientia, clysteres, ac leviter alvum ducentia, quibus non raro urinae fluxus restituitur.

Convalescentes ex hoc morbo, per aliquod temporis

spatium sensuum internorum, et externorum imbecillitatem patiuntur; proclives sunt ad soporem; et extremitates inferiores aedematosas habent. Verum haec incommoda paullatim evanescunt, convenienti adhibito diaetetico regimine. Victus in decursu morbis tenuis, augendus in convalescentia, talis sit, ut prompte concoquatur, restauretque vires. Interim aurea animi quies servetur, purus spiretur aër ac sensim, sensimque aliqua corporis exercitatio praecipiatur.

Quoniam observationes evincunt petechiale contagium attactu immediato potissimum propagari, curandum imprimis ut qui petechiis laborant, sollicite a sanis, et ab aliis aegrotantibus separentur, ut fieri solet, aliis prodeuntibus contagiosis morbis. Haec regula servanda etiam est, etiamsi petechiae sporadicae sint, quae interdum epidemicae fiunt, et contagione propagantur. In conclavibus autem ubi aegri degunt, suffitus antimiasmatici, sive nitrici, sive ex chloruretis, calcis potissimum praesto sint. Aër continenter renovetur omnique studio munditles servetur. Sordida linteamina, et excrementa extemplo removeantur ac assidue propinqua cubicula chloro-gazoso, aliisque suffitibus deinficientibus et vestes contagio infectae expurgentur: qui autem petechiosis adsident, chloro liquido et aceto frequenter manus osque abluant. Grassantibus vero epidemicis et contagiosis petechiis praestat in universum veneris castra, ingluviem, infirmantes caussas necnon ea quae perspirationem cohibent, naviter declinare.

DE PESTE ORIENTALI SEU BUBONICA.

I.

Auctissimorum perinde ac exquisite contagiosorum exanthematum agmen claudit, ac culmen sistit teterrimum, si quod aliud, *Pestis*, quae utpote in orientalibus plagis incunabula nacta, *Orientalis* ideo dicta.

II.

Est autem Pestis sui generis morbus acutissimus lethiferorum pathematum syndrome, cephalea, vertigine, anxietate, nausea, vomitu, bubonibus, anthracibus, carbunculis, variisque exanthematibus pessimi moris stipatus, socia utplurimum febre, quam *typhodem* plerique, *typhum orientalem* alii vocant, *neuropathicam* satius nuncupari posse remur, quod *nervosas* quasque febres auctorum ipsasque *pestilentes* complectatur. De hac autem febre modo obiter tantum agemus, fusius ipsam in pyretologia expensuri.

III.

Neuropathicam vocamus febrem continuam, in qua nerveum systema gangliosum potissimum primitus, et idiopathice ictum esse, phaenomena evincunt, quidquid Broussais irritationis theoriae antesignanus, eiusque asseclae refragentur, qui nimis severo iudicio febrium *essentialium* universe omnium existentiam perperam inficiantur.

IV.

Febrem hanc nonnulli Medicinae Proceres Hippocrate, et Galeno praeuntibus, et recentiores permulti cum Cullenio *typhi*; Frank, aliique *nervosae* febris, *asthenopyrae* Swediaur, parum aptis nominibus, designavere.

V.

Numero vero vix finita indita huic febri nomina, pro varia ipsius nosogenia, ob humorum, vel solidorum labe deducta.

VI.

Sauvages autem et Cullen generico nomine *typhi*, *malignas*, *mali moris*, *putridas*, *petechiales* auctorum, *typhum Aegyptiacum* Prosperi alpini; *febrem hecticam*, *malignam nervosam* Willis; *febrem malignam soporosam* Riverii; *lentam nervosam* Huxham, *febrem castrensem* Pringle ac Boerrhaave, *typhum carcerum*, *nosocomiorum*, *navium*, et *pestilentes* ipsas febres complexi sunt.

VII.

Ceu neuropathicae febris varietates illas spectandas remur quas Pinel in sua nosographia, vocibus, quae logomachiam vere redolent *adynamicas*, *ataxicas*, *adeno-nervosas* nuncupavit, quae utpote gradu saepius tantum discretae, non essentia, veluti distinctae species haudquaquam habendae, ut scite iamdiu adverterat Botta noster.

VIII.

Dum autem neuropathicam appellamus hanc febrem, in limine monere opportunum ducimus, *nervosi* nomen neutiquam habendum esse tamquam hyposthenici status synonimum, quod uberrimus fuit multorum errorum fons, sicuti apposite ad rem advertit Tommasini. « il nome di « nervoso aggiunto alle malattie porta ad una falsa idea, « se si voglia accettare come sinonimo di astenico, per- « chè non sono asteniche tutte le affezioni che si pre- « sentano con sintomi riconosciuti per nervosi » cum quo consentientem habet Hildebrand inquientem *neque*

nervosa febris, *et asthenica* ceu *synonima considerari possunt*; neuropathicam propterea febrim a *typho* CULLEN in hoc discriminari arbitramur, quod neque constanter sic dictam *nervosam diathesim*, neque exquisite *nervosa pathemata* sibi semper adiungere (ut ipse tradit) severiores posteriorum patologorum et Clinicorum collatae observationes ostenderint.

IX.

Neuropathica porro febris infensissimum et iure formidandum genus febris continuae sistit, quae modo acutissima gravissimorum symptomatum syndrome luctuosam ludit scenam, modo ab exordio personata incedens, levi sub specie, citam dein affert perniciem; modo ad duas, tres, quatuorve hebdomadas periculo numquam expers protracta, vel serius etiam progressa, lentae naturam adipiscitur; ipsa vero tam multimodis ordine, numero, vehementia se se exhibet pathematibus, ut eiusdem diagnosis maximum semper medentibus negotium facessat.

X.

Pestis autem cum populariter grassatur nullis ferme prodromis praenuntiatur pathematibus sed morte ipsa interdum scenam aperit; fulminis tunc instar sanissimos interficit homines loquentes, incedentes, ac ipsos dormientes. Alias morbus lassitudine, debilitate languore, torpore, insigni apathia, anxietate adoritur ac ingruit. Alias ingens partium internarum excipit calor; aeger virium iactura, torpore maximo, animi desponsione, mentis stupore anxietate magna, aurium, capitis gravedine conqueritur; vultus horrore plenus, oculi rubri, atque prominentes, capitis dolor immanis, vigiliae, delirium et interdum coma comitantur; ingens accedit virium collapsus, prae-

cordia ignis sensu quodam obruuntur ac torquentur; spiritus difficilis, nausea continenter ac biliosus vomitus vexant: deiectiones biliosae maleolentes torquent: pulsus frequens, debilis, abnormis saepe tamen magis durus ac plenus evadit, sitis immodica est, lingua plerumque albida, haud raro nigra, urina pallida et cruda vel rubra, et lutulenta.

XI.

Interea secundo, tertio aut quarto morbi die aut serius (partis pruritu, aut aestu praegressis in cute ac si acu pungeretur) maculae surgunt parvae pulicum morsibus similes, in quibus vesiculae aut pustulae oriuntur aquoso refertae humore, quae post duodecim horas dehiscentes atram lividam maculam rubro margine cinctam dorsum ac inguina occupantem relinquunt *anthracis* nomine dictam, vel vesicularem formam immani ustionis sensu, mox halone rubro prunam referente stipatam quam *carbunculum* appellant, sedem in capite, collo, mammis extremisque artubus figentem in vibices atque amplas petechias nonnunquam abeuntem. Subinde bubones seu glandularum tumores collum, axillas, vel inguina occupant; vox debilis, rauca; singultus, dysphagia et syncope, delirio, sopore tendinum subsultu et convulsionibus tentatur aeger.

XII.

Vix vacat tempus terere in commentitiis circa huius teterrimi morbi pro catharticam caussam, doctrinis percensendis, cum omnium cordatorum consensu in sui generis specifico omnium maxime infensissimo contagioso principio ipsa sit reponenda.

XIII.

Partis pruritus, petechiarum efflorescentiam et carbun-

culos praecedens, bubones ad inguina, vel iugulares glandulas et axillarum occupantes pestem a typho graviori cui saepe, socia incedit, haud aegre distinguunt.

XIV.

Expedit modo dirissimi morbi prognosim paucis perstringere: Aegri vires parum infirmatae, lenis et universus sudor cum pulsu valido et regulari anxietatem, nauseam ac vomitum pellens, bubonum et carbunculorum eruptio morbi levamine comitata fauste ominantur. Ex adverso calor praeter modum adauctus, profusi sudores corpus exhaurientes, petechiae nigrae, latae cito conspicuae, carbunculi plures erumpentes, magnus ac subitus virium collapsus triste firmabunt praesagium.

XV.

Perinde ac de prognosi, ita et de therapeia morbi, faventibus Superis, nobis nisi nomine comperti, pauca subdemus. Antiphlogistica methodus etsi in universum pesti debellandae cordatorum consensu conferat, caute tamen celebranda phlebotomia: maximi potius usus sunt emetica apposite propinata ac antiphlogistica caetera subsidia: sollicite quoque mundities ac aëris renovatio indesinenter promovenda. Adversis in rerum adiunctis, si virium pathologica infirmitas sit, protinus tonicis, antisepticis, cardiacis occurrendum, naviter seduloque publicae hygienes praesidia tempestive in usum vocanda, apposita laemocomia quibus infectorum secessus paretur, extruenda, atque extemplo usurpanda anticontagiosa suffumigia a neotericis concelebrata. Qui circa pestem plura cupiunt adeant Diemerbroeck, Desgenettes, Makensie, Mead, Mertens, Samailovitz, Valli, Romani, Buzoni, Passeri et praesertim postremas I. Frank eximias circa hanc rem, lucubrationes.

DE EXANTHEMATIBUS CHRONICIS,

SEU IMPETIGINIBUS GENERATIM

I.

Quamvis apud priscos medicinae proceres vario sensu *Impetiginis* vox, sed inprimis ad cutis asperitatem cum *prurigine*, *squamis*, et *furfuribus* indicandam, usurpetur, cum plerisque tamen pathologis *Impetigines* pressim appellantur diutinae integumentorum eruptiones haud febriles, quae eorum colorem, laevitatem temerant, functionesque a naturali detorquent statu. Hae autem exanthematum acutorum more multiplices induunt formas, ceu sunt *maculae*, *papulae*, *pustulae*, *bullae*, *vesiculae*, *phlyctaenae*, *crustae*, *squamae*, *callositates*, *excrescentiae*, *tubercula*, *fissurae*, *ulcera* (1):

(1) *Est autem* macula *naturalis coloris mutatio permanens, quibusdam limitibus praefinita in aliqua parte superficiei corporis absque sensibili elevatione.*

Papula *definitur* phima *parvulum desquamari solitum; est autem minima atque acuminata protuberantia cum epidermide ad basim inflammata, nullo scatens liquido, in suppuratum haud desinens, plerumque desquamatione fusfuracea terminata.*

Impetigines porro aliis *Cacodermata* saepe cum exanthematibus similitudinem exhibent, sed ab iis non parum differunt: exanthemata enim febriles morbos sistunt tuncque solum non excitant febrem, cum benignam praeseferunt naturam, eorumque curriculum brevi absolvitur: exanthematum incessus quibusdam

Pustulae *definiuntur exigui tumores rubentes a cutis inflammatione orti, qui suppurant praecipue in apice, crustisque terminantur: a papulis ergo differunt quae non suppurant et in squamas abeunt.*

Vesicula *est epidermidis prominentia magno interdum ambitu donata basi irregulari, fluidum serosum et pellucidum continens vix milii granum excedens; si maior* bulla *dicitur:*

Phlictaena *est vesicula basi profunde rubra, vel plumbei coloris instructa.*

Crusta *est substantia dura externam partis ulceratae superficiem obducens, decidua, saepe renascens.*

Squama *est epidermidis lamina plerumque densata, albescens, opaca.*

Callus *est durities et crassities partialis epidermidis.*

Tuberculum *est tumor durus superficialis, circumscriptus apice plerumque suppurans interdum gangraenescens.*

Varus *definitur tuberculum exiguum, durum fere callosum, dispersum, ac multiplex quod in facie praesertim, exurgit ac in manu.*

Verruca *est extuberatio dura, scabra, sicca, indolens utplurimum.*

Ulcus *est textuum erosio cum purulenti, vel corrupti humoris excretione.*

praefinitur temporibus, quae *stadia* vocantur, modo tria, modo quatuor peculiaribus distincta symptomatibus: ex adverso impetigines, haud sunt febriles, et solum in ipsis fortuito quandoque excitatur febris: contagiosae impetigines solo attactu propagantur; earum formae sunt mutabiles, et saepe una impetigo in aliam abit; distinctis haud notantur stadiis, et interdum tam diutinae sunt, ut habituales fiant, inque seros annos protelentur.

II.

Impetigines dividuntur in *primarias*, *secundarias*, *symptomaticas*, *sympathicas*, *criticas*, *contagiosas* et non *contagiosas*, *sporadicas*, *endemicas*, *universales*, *partiales*, *fixas*, *errantes*, *assiduas*, *recurrentes*, *periodicas*, *congenitas*, *haereditarias*, *simplices*, et *complicatas*: alii addunt partitionem a forma petitam; hinc in *polymorpha*, *papulosa*, *vesiculosa*, *squamosa*, *ulcerosa*, *pustulosa*, et *tuberculosa* diductae. *Primariae* a propriis caussis saepe obscuris oriuntur; *symptomaticae*, et *secundariae* ab alio praesenti, vel praegresso morbo; idiopathicae propius causam in cute repetunt; *sympathicae* ab irritatione partium, cum quibus cutis sympathiam alit; *criticae*, quae internorum morborum in primis acutorum cum levamine contingunt.

Impetigines quandoque nullo negotio contactu propagantur; alias nonnisi aegre omnino et quibusdam sub climatibus ac adiunctis. Dicuntur *sporadicae* a caussis peculiaribus orsae; *endemicae* a caussis quarumdam regionum propriis. *Universales* totam defoedant corporis superficiem; *partiales* aliquam eius partem. *Fixae*, quae haerent partibus, ubi primitus eruperunt; *er-*

rantes quae ex uno in alium locum migrant. *Assiduae* quae absque interruptione cursum explent; *recurrentes*, quae certis anni tempestatibus comparent: *periodicae*, quae praefinitis temporibus constanter remeant: *congenitae* feruntur ab ortu; *haereditariae*, quarum germina a parentibus in prolem traducuntur. *Simplices*, quae cum aliis morbis societatem non ineunt; ex adverso *complicatae*; *internae* impetigines per internas membranas mucosas serpentes non semel adnotatae: cutis enim mirum cum internis partibus consensum habet, gravia hinc symptomata ab impetiginum retrocessu manant, quae evanescunt, hisce ad pristinam revocatis sedem. Praeterea sectione cadaverum non solum ab hoc retrocessu inflammari viscera, et membranas, sed etiam maculas, tubercula, papulas, phlyctaenas, ulcera produci, in propatulo positum fuit.

III.

Quoniam impetiginum caussae modo in epidermidem, et reticulum Malpighianum; modo in cutem, et subiectum textum cellulare; modo in capillorum, et pilorum systema; modo in ungues agunt; ex illis chronica utplurimum cutanea vitia exoriuntur, quae latiori sensu *Impetigines* appellantur.

Idcirco si afficiatur epidermis, et reticulum, oriuntur, *maculae* vel solitariae, vel confertae, *durities*, *asperitates*, *callositates*, *bullae* subtili, et acri latice refertae: si cutis, *tubercula*, *excrescentiae*, *ulcera*; et interdum inflammata intumescit, dolet, eroditur, perfoditur, et foetidissimus ichor secernitur: si capillorum, et pilorum systema, *alopecia*, *calvities*, *leptotrichia*, unde capilli fiunt lanugini similes, *villositas*,

trichoma, cum capilli, et pili mirum in modum complicantur, conglutinantur, nodisque inexplicabilibus vinciuntur: si ungues, *maculae*, *fissurae*, *erosiones*, *mollities*, *scabrities*, *deformitas*, *lapsus*.

IV.

Impetiginibus patet uterque sexus, omnisque aetas, sed magis pueri, et foeminae ob molliorem, laxiorem, teneriorem, ac sensibiliorem cutis contextum: in pueris enim frequens est *tinea capitis*, et *faciei*; saepe cutis in variis partibus inflammatur, roditur, unde manat materies acris, foetidissima, ichorosa; persaepe etiam, potissimum dentitionis periodo, pustulae, et papulae per universam corporis superficiem exiliunt, in foeminis frequentissimae maculae sunt quibusdam potissimum temporibus, ut menstruorum, graviditatis, puerperii non secus ac herpetes, aliaeque impetigines, dum menstrua, lac, et lochia cohibentur. Minus spadones impetiginibus obnoxii sunt, non semper tamen immunes.

Impetiginum procatharticae caussae vix numero finitae, quarum plurimae parum compertae. Immerito a nonnullis impetigines primitus a vitiis fluidorum perinde ac iamdiu ab humoralis pathologiae patronis, atque ab humorum acrimoniis deductae; ast humores de morbosa participare solidorum actione, vel morbosum stimulum sufficere, neutiquam vero proximam causam sistere sanior pathologia evicit; veterum vero acrimoniae, sive acidae, sive muriaticae, sive ammoniacales plerumque commentitiae totidem vitiatae solidorum organico-dynamicae conditionis effecta sunt, neutiquam vero ceu coniunctae causae spectandae.

V.

Etsi vero plurimarum remotarum causarum abdita natura sit, nonnullae tamen sat sunt exploratae: huc spectant praeprimis aëris vitiatae qualitates; ventorum afflatus, lucis ac calorici potissimum radiantis actio nimia, alimenta ac poculenta quantitate et indole peccantia: perinde ac errores in motu, quiete, vigilia, somno, patrati, animi pathemata vehementia potissimum, secretiones abnormes, paedor, insecta, vermes; nonnulla medicamina: contagia: omnes vero idiopathice modo, sympathice alias in cutaneum agunt organum. Nihil autem magis cutis functiones laedit quam subitae aëris ac temperiei vices, effluvia varia, uliginosa atmosphaera. Ab acribus salitis, irritantibus alimentis in facie pustulas rubras frequentes, efflorescere observatio evincit quod et de spirituosis poculentis, et aquarum ardentium abusu potissimum affirmandum a quibus maculae, et papulae rubrae, aliaeque impetigines in facie, et circa nasum erumpunt, non secus ac ab aromaticorum, et acrium condimentorum usu, ac ex erroribus in motu, quiete, somno, et vigilia contingere solet. Uberrimam vero impetiginum scaturiginem exhibent excretiones vel morbosae, vel auctae, vel imminutae, sicuti cutanea perspiratio abnormis, urinae vitiosa secretio, ac excretio, bilis vitia.

Catameniorum recursus ob consensum, qui inter uterum, et cutem intercedit; menostasia non secus ac retenta in puerperis lochia, vel praepedita lactatio frequenter impetiginibus ortum praebent.

Perinde ac haemorrhoidalis fluxus cohibitus, ac pro-

fusae haemorrhagiae, ex qua cachexia, quam saepe cacodermata excipiunt, promanat.

VI.

Alia non minus frequens impetiginum caussa sorditudo est; ab ea quippe irritatur cutis, ac ipsius multifariam pervertitur actio; potior haec causa ex qua frequens cutaneorum morborum cohors est penes egenos sordidosque nonnullos artifices. Maximam vero cutaneorum morborum partem ab insectis sobolescere observationes in propatulo ponunt: illud autem indubium videtur plures impetiginum species ab hac causa manare. Inter insecta alia sunt hominum propria, quae in ipsa humana cute nidulantur, ut *pediculus humanus*, *pediculus pubis*, *acarus exulcerans*, ab acaro farinarum diversus. Mira est eorum fertilitas, praecipue pediculi humani, et pubis. Haec insecta penetrant sub epidermide, irritant cutem, variosque producunt effectus. In statu morboso uberrima prorsus est pediculorum genesis, ut morbum pedicularem *phthiriasim* dictum constituant; quemadmodum et de *pubis pediculo* etiam adnotatur. *Acarus* vero *exulcerans*, *sarcoptes* scabiei dictus in recentibus scabiei pustulis observari a Cestoni, Morgagni, Gales perhibitum fuit.

Alia insecta aliis animantibus sunt communia, quae aut in aëre volitantia feruntur ad cutem, ut culices, apes, vespae, muscae, oestri, eamque pungunt, vel morsu linquunt stimulum, unde cutis ardet, et inflammatur; aut in rebus hominum usibus dicatis nidificant, et ad cutem traducuntur, eamque morsu lacessunt, et sanguinem sugunt, ut pulices, et cimices: vermes

quoque cuti infensi sunt: inter duodecim horum species, quae iuxta Bremser ac Rudolphi varias humani corporis partes habitant, excruciant cutim *filaria medinensis*, et *cysticercus* telae cellularis.

VII.

Plurima quoque medicamenta exterius applicita vel interius propinata, venena nonnulla irritanti, adstringenti, et rodenti sua vi impetiginibus prophasim praebent. Saepe quoque ab ignotae indolis contagio impetigines nascuntur: Impetiginum porro contagia extemplo in cutim actionem exerunt; ut vero proprios producant effectus, quaedam requiritur dispositio in integumentis, ex qua eo magis illa hauriunt, quo magis mollia, et munda sunt, eo minus, quo magis dura, callosa.

VIII.

Frequenter vere impetiginum causae primis haerent viis: hinc harum cachochimia, acrium, aromaticorum ciborum abusus, esus quarumdam substantiarum ceu ostreae mytuli, fungi, abdominalium viscerum physconiae huc spectant. Impetigines secundariae, et symptomaticae cum ab alio antecedenti, aut praesenti morbo ortum ducant, harum origo, nonnisi priori morbo explorato, diiudicanda. Quamobrem ut impetiginum symptomaticarum generis gastrica, arthritica, scrophulosa, scorbutica, syphilitica eruatur etc. horum priva recolenda signa.

Saepe vero dum comparent secundariae impetigines, primarii morbi conticescunt, ut arthritica labes, et viscerum morbi, pustulis, crustis, ulceribus, aliisque prodeuntibus efflorescentiis; quandoque symptomaticae

impetigines complexae omnino sunt et *polymorphae* quemadmodum illae quae syphiliticae, herpeticae, aut scorbuticae labis soboles sunt.

Quoad autem impetiginum proximam caussam hanc, cum sanioribus pathologis in specifica dermatis phlogosi reponendam fore autumamus, a qua prae irritatione processus organici, ac vitales cutis, eiusque functiones abnormes fiunt, et a naturae instituto desciscunt.

IX.

Ut autem impetiginum primariarum praenoscatur exitus, quae sit earum natura, caussae, effectus; quae aegrotantium aetas, et constitutio; utrum recentes sint, vel diuturnae; simplices, vel complicatae; et an contingerit in earum decursu retrocessus, solerter inquirendum est.

Si igitur impetigines sint leves, et a caussis ortae parvi momenti; si obsideant solum epidermidem, saepe sponte sanantur; si contra a gravibus oriantur caussis, et profundiores sint, non solum difficiles curatu sunt, sed etiam aliquando retrocedunt, maximoque cum discrimine invadunt viscera; quae a quibusdam gentilitiis dyscrasiis aegre tollendis foventur, vix abigi possunt ceu haereditariae, et congenitae. Criticae vero minus caute curantur, atque nullo negotio repercutiuntur, hincque morbi insolescunt qui ipsis erumpentibus evanuerunt. Impetigines autem omnes pro aetate, et constitutione aegrotantium diversa plus vel minus rebelles, et periculosae spectantur. Primis vitae mensibus morbi cutis utplurimum a lactis prava qualitate suborti, cito amota causa conticescunt.

Impetigines recentes, haud valde cutis functiones

pervertunt, curatu sunt faciliores; contra diuturnae, quae non solum cutis functiones deturbant, sed etiam ad retrocessum sunt proclives, etsi a locali vitio natae, graves interdum ad interna viscera metastases faciunt.

Sic scabies recens localibus remediis cito vincitur; sed diuturna, saepe retrocedit, nec abigi potest, nisi etiam interna una simul socientur remedia. Hoc vero maxime animadvertendum, quod interdum impetigines per plures annos supersunt, quin sanitatem laedant, imo alios morbos repellere videntur. Impetigines *simplices* minus portendunt periculi, quam *complexae* et ab universali aliqua labe fotae. Si impetiginum retrocessus, contingat, hi aut repentini aut lenti sunt, ac plus minusve ominosi prout varia est impetiginum natura, ac momentosa viscera quae regressa impetigo adoritur; si igitur momento temporis repellatur, et ad cerebrum metastasis fiat, apoplexia, et mors consequuntur; si autem alia impetat viscera, ut hepar, quamvis retrocessus sit repentinus, non tam sollicite perniciosi consequuntur effectus. Si retrocessus tardi fiant, paullatim prodeunt morbi, interdum alea pleni. Sensim interdum impetigines se subtrahunt a cute, quae naturalem colorem recuperat; sed eodem tempore interna anxietas torquet; viscerum functiones turbantur; vertigines, respirandi difficultas, interni dolores, tussis, suffocatio, aliaque gravia accedunt mala.

X.

Praesagium symptomaticarum, et secundariarum impetiginum a praesentis, vel praegressi morbi, a quo ducunt originem, ingenio, et ab earum effectibus est eli-

ciendum. Saepe impetigines symptomaticae sunt curatu faciles, sicuti gastricae; aliae aegre sanantur uti scrophulosae. Quae tam diuturnae non sunt ab apposita medela, si aetas non sit provecta, ceu venereae, scorbuticae haud difficile abiguntur.

Non raro impetigines symptomaticae primarios morbos graviores faciunt: ex adverso criticas interdum has impetigines esse, accuratae observationes evincunt; ab ipsis enim primarii morbi violentia temperatur. Impetigines secundariae sanari queunt, modo dycrasia quapiam haud laboret aeger, haud sint neglectae, aetas non sit senilis; contrarium observatur sub oppositis conditionibus. Aegre prorsus symptomaticae, et secundariae impetigines superantur, praesertim si praeter peculiarem dycrasiam a qua foventur, alia labes latitet in aegrotantium corpore.

XI.

Ut rationalis suscipiatur impetiginum therapeia, quae sit earum indoles, caussae, ac effectus exploratum esse debet; cum enim impetigines ab irritationibus integumentorum exoriantur; has vero plurimae caussae sive externae, sive internae, idiopathicae vel symphaticae inferre valeant, liquido consequitur, caussarum actionem primo esse profligandam.

Ex remediis magis directa, et apta videntur externa, siquidem impetigines primariae morbos locales sistunt: cum tamen saepe caussae internae sunt, et non solum aucta, vel imminuta, vel perversa integumentorum sensibilitas, sed etiam universalis vitalium virium laesa conditio ad impetigines producendas maximam conferat symbolam, hinc interna remedia

conducunt. Haec autem praeterquam internas caussas, et universalis oeconomiae conditiones emendant, peculiarem quoque in communia integumenta actionem exerunt.

XII.

In universum impetiginum therapeia ipsarum efficientibus causis accommodanda, ac multifariis traditis earum discriminibus aptanda. Danda opera primum est ut irritamenta quaevis sive mechanica sint sive physico-chemica, aut dynamica a cute avertantur, morbosa cutis sensilitas compescatur, mollities, rigiditas aptis arceatur subsidiis: hoc consilio tempestive atmosphaerae vicibus corpus adsuescat, cutis halitus naviter tutetur, cutis mundities sollicite servetur, sordes abstergantur sedulo servatis hygienes praeceptis. Cum autem impetiginum causas penitus rimari salebrosum plerumque sistat opus, hinc caute omnino in ipsarum incedendum curatione potissimum ubi sponte germinaverint. Cutis autem auctam prae nimio stimulo sensilitatem temperatis balneis, diaeta tenui, lactea, diluentibus, temperantibus auxiliis, apto regimine compescimus: minuta ex adverso actio prae torpenti nervorum sensilitate frictionibus, calidis lotionibus, laneis indusiis, motu, potionibus diapnoicis vel etiam diaphoreticis appositis pro re nata usurpatis excitanda. Perversam sensilitatem ad typum revocare omni satagendum ope ex exploratis symphatiae legibus, factitia emunctoria ac diverticula instituendo, atque ad minus momentosa organa irritationem evocando.

Impetiginum igitur therapeia, modo venae sectiones, modo cathartica, temperantia, diluentia exposcit. Ca-

thartica sordes everrunt, et ad intestina humorum fluxum advocant, unde cutanea eruptio, eiusque effectus minuuntur. Caute vero semper adhibenda purgantia, ne nimio illato ad intestina stimulo, morbos inducant graviores: Propinanda igitur sunt, cum gastrica suppetunt inquinamenta, magna sit integumentorum irritatio; temperamentum robustum. Etiam in sanguinis missionibus instituendis magno opus est consilio: hae enim opportunae sunt ubi temperamentum sit plethoricum; ingens integumentorum irritatio, et a vasorum erethismo praepediatur eruptio cutanea; vena vero inconsulto secta, vires enervat, insensibilem halitum, et vasorum reactionem minuit.

XIII.

Plurima externa auxilia in cutem directe magis agentia sanandis impetiginibus opportuna traduntur. Hisce accensenda emollientia, diluentia, mucilaginosa, oleosa, adstringentia, roborantia, stimulantia, amara, irritantia, acria, caustica, sedantia, paregorica, ac torpentia.

Inter externa vero remedia, probatae utilitatis balnea sunt. Ut vero balnea opem ferant, dirigenda est temperies, balnea frigida nunquam ferme conducunt; ab his enim repelluntur efflorescentiae, et metastases contingunt: balnea marina subfrigida quandoque prosunt, quod perspirationi faveant, et salinis principiis morbosam cutis conditionem mutent. Balnea vero calida caute usurpanda, quippe irritant, et in mobilibus syncopes, palpitationes, dyspneam facile excitant. Nunquam vero balnea nimis calida sint, sed modicae temperiei. Maxime autem utilia sunt balnea minera-

lia, sulphurea, naturalia, vel artificialia; siquidem statum morbosum integumentorum, et vim irritantem impetiginum temperant. Magis utilia sunt naturali calore instructa *thermalia* quae acidis carbonico, vel hydrosulphurico foeta, salutares in cute mutationes exerunt.

Quamvis autem balnea tanti sint emolumenti, caute tamen cum ipsis mercandum, ubi summa debilitas aegrotantes teneat.

XIV.

Quoad autem externa alia remedia, numero vix finita celebrantur: hisce accensenda unguentum oxygenatum Alyonii, quod ex acido nitrico, et axungia componitur: substantiae acres vegetabiles, aut sub forma decocti, aut unguenti adhibitae: sulphur pinguibus substantiis mixtum, quod aut enecat insecta, aut dum caussa est inanimis irritat cutem, et prius evocat maiorem eruptionem, quam deinde exsiccat: plumbum, eiusque praeparata temperanti, ac adstringenti vi donata; vitriolum album zinci oxida, alumen, quae utpote actuasiora adstringentia, tunc tantum adhibenda, cum caussa localis sit, scilicet quae topico cutis vitio continetur: mercurius, et salia mercurialia, quae non solum laudantur in impetiginibus a lue venerea natis, sed etiam in illis, quae ab insectis, aliisque caussis oriuntur; cum autem eruptiones cutaneae, vel a suppressis, vel ab imminutis evacuationibus sanguineis, vel a phlogistico aut saltem activae congestionis statu sustinentur, hirudines, cucurbitulae cruentae, utiliter usurpantur: maxime autem iuvant hirudines, ubi summus pruritus, et dolor cutis vexant, et ubi haec ab externorum reme-

diorum stimulantium actione inflammatur. Denique aliquando emolumento sunt ulcera artificialia, setacea, fonticuli, quae ad alia loca morbosam irritationem evocant, ac utilem inducunt revulsionem.

Impetigines nimis diuturnae remediis tam internis, quam externis reluctantur, et ad retrocessum sunt proclives; affectae enim partes iam ad morbosum existendi modum habitudinem contraxerunt; nec sine periculo habituales morbosae secretiones supprimi possunt; nullo enim negotio transiliunt ad viscera, et hinc asthmata, inflammationes, suppurationes, hydropes, metastases ad artus, febris lenta, tabes consequuntur.

Hae autem impetigines non alio modo sanantur, quam revulsiva actione alio irritationem evocando, et factitia emunctoria, instituendo. Dum autem contingerint retrocessus, sollicite cutanea eruptio est revocanda; quod fit balneis, et fotubus emollientibus, frictionibus irritantibus, unguento Authenrieths, aquosa tartari emetici solutione, aceto sinapato, similibusque. Quae hactenus allata sunt de curatione impetiginum, primarias spectant; nam symptomaticae, et secundariae curantur utplurimum internis remediis, quae primariorum morborum ingenio, eorumque effectibus occurrant.

XV.

Amovere cutaneos morbos maximi interest. Id assequi erit potissimum cutis sedulo servata munditie ut perspirationis, aliarumque secretionum, et excretionum libertas, et impetiginibus contagiosis laborantium contactus, ut et rerum contagio infectarum sollicite devitetur. In recens vero natis expediunt lotiones, lin-

teorum munditiës, bonae notae lac, lenium catharticorum usus ceu syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, mel rosatum solutivum, similia si alvus sit clausa; *absorbentia* si acida primas vias obsideant, quod praecipue a viridibus deiectionibus inferre est, et ante dentitionis periodum vaccinae insitio.

Post dentitionem, praeter corporis munditiem, mutationibus temperiei, et balneis frigidiusculis assuescant infantes; nec parum, nec nimis caput, aliasque partes induant; vestes climati, et anni tempestatibus respondeant; pectinis usu capillitium abstergatur; aestivo tempore aliquantisper abscindantur capilli, cum immundis infantibus evitetur commercium. Iuvenes, et adulti praeter munditiem corporis ab ipsis semper sedulo curandam, balneis, temperanter utantur, sobrie geratur vita; non omittantur corporis exercitationes; avertantur causae, quae etsi leves in sensibilibus impetigines producere valent. In senibus tandem congruens diaeta potissimum, aurea in rebus omnibus mediocritas, ac temperantia, servanda, caussaeque omnes perspirationem turbantes sollicite declinandae.

Hisce generatim delibatis, praecipuas impetigines *maculosas*, *vesiculares*, *papulosas*, *pustulosas* ac demum *crustosas* singillatim expendemus, postremo cacotrichiis et caconychiis tantum perfunctarie indicatis, id obiter animadvertentes *Cacodermatum* genera quaevis nonnullas quidem notas praeseferre quibus invicem quadantenus distinguantur, nullis tamen vere pathognomonicis signis ita posse certo internosci, ut alia quandoque cum aliis haud queant confundi; fluit ex his impetiginum doctrinam vel ipsis accuratio-

nibus nosologis operosum nullo non tempore facessisse negotium; ex quo factum est ut *Dermatosium* varietates quasdam ceu distinctas species habuerint nuperi nonnulli pathologi, sicuti cernere est in VILLAN, RAYER, ALIBERT monographiis, quae etsi graphidis elegantia praestent, longissime tamen absunt ut tum nosologica distributione, diagnosticis criteriis, cum potissimum rationali therapeia spectatis, severae pathologicae analysis notis instruantur.

DE MACULOSIS IMPETIGINIBUS

I.

Inter maculosas impetigines potissimum recensendae veniunt *ephelides*, *lentigines et chloasma:* latis vero maculis quas a sole progigni creditum *ephelidis*; parvis vero guttatim inspersis lentium figuram referentibus *lentiginis* nomen tributum fuit; utraeque congenitum interdum vitium subflavae, fuscae, faciem, et anteriorem pectoris partem, manus dorsum, et nudam cutem plerumque occupant in iis praecipue, qui tenui, delicatiori, albida pelle, rufis, flavisque capillis donati sunt. Solis actione vere praesertim crescunt, sed etiam in non insolatis ephelides, et lentigines aliquando nasci solent.

II.

A maiore cutis sensibilitate, quae sudore copioso, ac foetido sit conspersa remotam ephelidum, ac lentiginum causam repetunt recentiorum nonnulli, ac si agente verno sole radii a perspirati humoris guttula, quasi a lente vitrea, vel a speculo, ut dicunt ustorio in centrum, seu focum collecti ad instar ignis in cute agant. Ignis actio solem aemulatur. Materies subnigra supra mucosum corpus deposita eas constituit.

III.

Prophylactica ephelidum medela suburbanis foeminis est comperta. Quae cuticulam penetrant, et subnigram materiem liquant, vel aliter colorant, aut eius absorptionem promovent ad maculas delendas conducunt. In cute prius tepidis stillatitiis aquis, sero, aut cremore lactis, aut sapone bene abstersa alcalinum volatile, aut camphoratum linimentum, borax, lac sulphuris, aut virginale dictum, decoctum, vel aqua stillatitia fabarum, cosmetica Hartmanni, aqua phagaedenica has maculas aliquando tollunt. Certis anni tempestatibus, aut in puerperio per se evanescere ephelides solent. Lentigines destructo epidermide; et textu reticulari renovato evanescunt.

IV.

Ephelidem spuriam, alii *melasma* nominant maculas sulphureas, obscuras, pertinaces, quibus obfuscatur cutis in tibia, et crure eorum qui hyberno tempore igni prope nimis assident.

CHLOASMA

V.

Palmi magnitudinem lata, fusca, subflava viridescens, vel flavo-nigra macula paulis peraspera pectus, dorsum inguina frequentius humeros quandoque occupans *chloasma* est, (a cloazo viridesco) dicta. Ephelidi fere similis in eo differt, quod ab internis caussis ortum habet, et tectas partes in sui sedem eligit; illa levis; asperitates, ac furfures istud emittit; ea mucosum textum; hoc cuticulam magis afficit.

VI.

Saepius in gravidis hae comparent maculae, et frontem, genas, collum, manus ipsis quoque deturpant, *ephelis* ab aliquibus *Chloasma* gravidarum ab aliis dicitur. Non semper certum est conceptionis ut putarunt indicium, nec a chloasmate conceptus sexum portendi, etiamsi observatum fuerit mulieres quasdam iis maculis graviditatis tempore solummodo foedari, ac rursus quasdam si marem, quasdam si foeminam gestent; has autem maculas cutis a mutato uteri incitamento ex sympathiae legibus repetere rationi est consentaneum arbitrari.

VII.

Chloasma amenorroicum a menostasia, tum viduas, tum virgines pati observata probant.

VIII.

Viros aeque ac foeminas *hepatica*, ut aiunt, macula temerat aspera pruriens ad herpetem vergens a lienis, et hepatis vitio, ab haemorrhoidibus suppressis nata; chloasma *pseudo porrigo* a nonnullis dicta; a caloris incremento in ea exacerbatur prurigo, scalptu decidunt facile eius squammae; ex ea retropulsa aegrotos ophtalmia, et faucium phlogosi laborare viderunt artis magistri, et nostalgiam, tertianas, et quartanas febres non raro has maculas comitari testantur.

IX.

Gravidarum Chloasma post partum ocius, vel segnius evanescit; quandoque tamen diu pergit ubi ab amenorraea, vel supresso haemorrhoidum fluxu pendeat; potioris morbi symptoma, ab isto eruenda prognosis. Chloasmatis pseudo porriginis difficiliorem sanationem causarum notio suadet; sponte post menses vel annos aliquando deletur.

X.

Huius impetiginis ab internis remediis auspicandam esse curationem, et externis quandoque absolvendam facile patet. Ab hepatis, lienis, et uteri morbos pellendos resolventia, emmenagoga, nervina pro re nata usurpanda remedia; si herpeticam indolem chloasma praeseferat, quae herpeti adversantur, conducunt; cutem stimulare, irritare, ut aliena secretio arceatur, vel emendetur opportunum est: hoc consilio commendantur balnea marina, fluviatilia, linimenta camphorata, ex oleo laurino, solutio boracis, sapo, unguentum mercuriale, rubefacientia, cantharides. Retropulsum chloasma *pseudo-porrigo* a pectoris cute, quod consecuta fuerat faucium phlogosis, statim ac chantaridum linimento in suam sedem revocatum fuit, phlogosim desiisse observatum: Chloasma ex fuco indelebile saepe sistit praepostere quaesitae venustatis praemium.

DE NONNULLIS ALIIS CUTIS MACULIS

XI.

Cutanearum macularum singulas varietates prosequi supervacaneum censemus; quas sanguis effusus gignit *phaenigmum* seu *rubificationem*, *suggillationem* et *ecchymoma* (ab ecchyo effundo) dixerunt, seu maculam ex sanguinis effusione in cutis textu. Maculosae efflorescentiae plerumque chronicae cum inflammatione erysipelacea non febrili, recurrente pruritu, ardore, cui papulae, phlyctaenae, pustulae, vel furfures superveniunt *erythemata* iam ab Hippocrate vocata fuerunt (ab erithaino, rubesco). Ad ipsa ab initio *gutta rosacea*, et *intertrigo* necnon

perniones spectant; illa ad *papulosas*, et *herpeticas*; istae ad ulcerosas impetigines progrediendo vergunt; prior macula est scabra, rubri intensi coloris, nasum praecipue, et frontem occupans, varicibus, squammis, tuberculis non raro exasperata. Tenera cutis ab immunditie, et attritu fatiscens cum laevi, et humido erithemathe *intertriginem* constituit. Erythema *pernio* rubedo dicitur a gelu orta tumore saepe iuncta, praecipue ad manus, et pedes sedet, ad genas, aures, nasum obvia quavis hyeme rediens, et si accedat calor lecti, aut ignis, pruritu ardente stipata.

XII.

Impetigines congenitae, quae vel maculae laeves sunt, vel tuberculorum, aut acinorum figuram habent *Naevi*, nomen, vernacula voce *envie*, suscipiunt quae perperam matris imaginationi fuerunt tributae.

XIII.

Cutis in aliquo loco pallida decoloratio nunc fusca, nunc albida nivei, aut lactei coloris instar guttularum cum superficiei depressione, et naturalis sensus, ac levitatis defectu *Vitiligo* est, graece *Alphos*. In textu vero reticulari, ac mucoso insident aliquae maculae; alias cutanei textus integram crassitiem, vitium obsidet; illae superficie laeves sensu gaudent; istae cum tumore ab expansione agglomerotorum vasorum facto tenuissima tecta epidermide, sensu destitutae se produnt, ita ut vera cutis ibi desit, et cellularis subiecta vel arctata fuit, vel etiam deleta.

XIV.

Causis investigatis ab earum amotione auspicanda sanatio; in topicis seligendis maculosarum impetiginum

pathematum, ac coniunctorum habenda est ratio; hinc extus emollientia, resolventia, discutientia, et leniter irritantia in usum advocanda; cutis substantiae vitia causticis, et excisione tollimus, sed non raro quum vasa dilatata a vulneris oris elungentur maculosa crescit cicatrix; remedia vero interna peculiaribus caussis aptanda.

XV.

Generatim remedia quae roborant sanguinea vasa, et vasorum absorbentium actionem augent *ecchimomatis* curationem explent. Caeterum peculiarium semper causarum habenda ratio. Erythema interna, et externa efflagitat auxilia: Ad prima spectant purgantia, diluentia, ad altera emollientia, resolventia, et singulis causis prospicientia auxilia. Erythema *pernio* recens sanatur repetita immersione affectae partis in aquam frigidam, frictione nivis, lotione plumbi acetate soluto, et praesente inflammatione emollientibus, antiphlogisticis. In erythemate gutta rosea quae ab erroribus diaetae pendeat, haec apposite mutanda: in magna irritatione conferunt emollientia, hyrudines etiam iterato admotae, intus vero purgantia antiphlogistica, diluentia commendanda. Erythema *intertrigo* munditiem, lotionem frigidiusculam, stypticam, filamenta carpta pulvere farinae, vel lycopodii aut subcarbonatis plumbi inspersa, cutis plicis interposita, exposcit.

IMPETIGINES VESICULARES

DE ECZEMATE

I.

Urticariae quodantenus affinem cutis apyreticam efflorescentiam utlibet magis diuturnam sistit *Eczema* (ab eczeo, effervesco) aliis *hydroa*, *ecthyma* a Willan et Bateman, *phlyzacion* passim dictum, *ophlyctis* Alibert, phlyctaenae nimirum limpido sero turgentes, grano milii, nisi inter se confluant, parum maiores, pruritu et molesto ardore stipatae, ad basim praesertim dum scalptu irritantur, valde inflammatae. Vesiculis illis sponte dehiscentibus, vel frictione ruptis, lympha effluit acris, quae aëris contactu in crustas coit squamosas, bruneas, aut nigrescentes, siccam ferme aemulantes scabiem.

II.

Benignam utplurimum efflorescentiam sistit Eczema haud contagiosam, sporadicam, idiopathicam, saepius apyreticam, mere topicam ab irritamentis in cutem agentibus inductam, quae saepius acutorum morborum more incedit, interdum iterata variis in locis eruptione, ac successive pullulantibus phlyctaenis ad hebdomadas, et menses protelatur.

III.

Potiorum causarum intuitu tres praecipuas distinguere licet eczematis varietates, nimirum *aestivum*, *febrile*, nec non ab irritantibus venenatis agentibus, quod *toxicum* dicunt, quibus quarta species ab hydrargyri incauto usu inducta *mercurialis* ideo appellanda. Prius constituunt aestuante syrio vesiculae pellucidae vel etiam albidae granis milii magnitudine, et forma similes, confertae, vix cohaerentes sphaericam hydatulam aemulantes ad basim levi phlogosi cintae, in apice humore seroso, flavescente, aut subturbido scatentes quandoque duriusculis phymatibus, culicum morsibus simillimis, quae, originis ratione habita, cum a retento sub cuticulae sudore saepius sobolescant, *sudamina*, vel *hydrota* ab Aetio, Plinio, Hippocrate iamdiu appellantur. Haec autem emicant potissimum solitaria in locis reconditis sudore maceratis in pectore, et extremitatibus, rarius ad faciem, et manus, nisi ex immediato apricationis irritamento. Interdiu parum cruciant, ad vesperas vero, et maxime noctu ex lecti calore pruritum concitant, et somnum arcent: irritatae scalptu vix compescendo vesiculae magis turgescunt, et conclusum liquorem fundunt in crustas coëuntem, quibus incaute avulsis, interdum in ulcuscula pertinacia abeunt.

IV.

Immodicus atmosphaerae praesertim humidae, atque conclavium calor, ardor solis, sudores copiosi, vel diaphoreticis, vel corporis immodico exercitio, laboribusque agrestibus proliciti, neglecta cutis mundities, balneorum calidorum, vel thermarum sulphurearum usus potiores esse consuescunt huius eczematis seu sudaminum caussae

quibus prae adultis patent infantes cute tenera, ac succulenta donati in sudores prona, nec non adulti sub aëre humido ac calido degentes, vel frigidioris coeli incolae, qui aestuosiorem regionem non adsueti inhabitant.

V.

Eczema seu hydroa febrile aliis nomine *herpetis labialis* insignitum symptomaticum vix non semper, saepius criticum febrium ephemerae, vel intermittentium sistit congeriem ferme racemosam phlyctaenarum limpido, vel flavido sero repletarum, basi laeviter inflammatae insidentium, quae praesertim ad pectus, nasi pinnas, labia, et auriculas efflorescunt. Ardore potius quam pruritu vexant, et post paucos dies sponte disruptae in crustas exsiccantur, quibus deciduis levigatam subtus relinquunt cutim.

VI.

Tertia eczematis species erysipelati phlyctaenoso valde adfinis *eczematis rubri* nomine a Willan nuncupatus vesiculas aut pustulas haemisphaericas, parvas, discretas mox diaphano, mox puriformi latice scatentes, parum elatas, calentes dolore, ardore, vel pruritu mordaci stipatas exhibet; singulas phlyctaenas rubor urens circumambit, illisque hiulcis lympha manat acris, proximam subiectamque cutim inflammans, rodens, inque crustas coacta duras findit, pertinacia pariendo ulcuscula qua sub forma *eczema impetiginosum* a Willan appellatur.

VII.

Tertia haec eczematis species sporadica semper atque idiopathica localis, et apyretica e peculiaribus ortum ducit caussis cutim chemico modo irritantibus quas inter calx, emplastra acria, insectorum morsus, *rhoes toxico-*

dendrum, radicans, tartarus stibiatus, et hydrargirum, pro quarum diversitate ipsa eruptio specificas offert notas et peculiarem therapiam sibi vindicat quae generatim lotiones, balnea simplicia emollientia, ac medicata, sulphurea, potiones acidulas, antiphlogistica subsidia alia exposcit.

VIII.

Ad eczematis speciem referre satius ducimus cutaneam efflorescentiam, quae modo exanthematum, modo impetiginum more incedens, utpote ex incauto hydrargyri usu sobolescat, *exanthema ideo mercuriale*, *lepra mercurialis*, *erythema mercuriale*, *hydrargiria passim* ab aliis nuncupatur, ac a nuperioribus, potissimum Mathias, Bateman, Hoker, Frank illustrata fuit.

IX.

Exorditur mercuriale eczema praeviis symptomatibus febris catharralis cum magna, ac insueta irrequie, debilitate, cutis pruritu, et nonnumquam cum sudoribus specificum odorem illi ori: sub mercuriali ptyalismo quadantenus similem, manantibus. Plurimi simul ptyalismum fauciumque phlogosim experiuntur. Vigente per unum, alterumque diem febre, eruptio contingit nunc sub forma *papularum* tum laetae, tum profunde rubrarum, summopere prurientium instar *rubeolae*, nunc sub ea nodulorum sive tuberculorum profunde rubrorum, urticariam nodosam aemulantium, nunc sub forma pustularum miliarium fluido pellucido, acri, rodente saepe specifice foetente repletarum, quae pustulae disruptae crustas, uti in herpete, gignunt. Eczema hocce primum ad scrotum, et crura exoritur, non raro autem illud ad lumbos, ad abdomen, vel super totam corporis superficiem, non excepta

semper facie, extenditur. Facta eruptione febris symptomatica incenditur, noctu praecipue exasperanda. Idem in graviori saltem malo, de symptomatibus catharralibus, quibus cephalea, pondus praecordiorum superaccedunt, dicendum est. Duratio efflorescentiae varia ab una scilicet haebdomada ad mensem usque. Versus finem vergente morbo, vel desquamatio, nel secessio crustarum incipiunt; desquamatio obtinet dum eruptio sub forma papularum, vel tuberculorum contingit; crustae vero plerumque occurrunt, dum eruptio ex vesiculis constitit. Sunt huiusmodi crustae ex flavo bruneae, alias pustulae solidescunt, et demum desquamantur, nonnunquam una simul ulcera mercurialia in faucibus erumpunt solitaria, lacteum colorem ad basin praeseferentia, sedulo a syphiliticis distinguenda quae lardaceum colorem referunt, margines callosos, et agminata se offerunt.

X.

Peculiaris aegri idiosyncrasia hydrargyrium abhorrens, interdum a scorbutica labe promanans, hydrargyrum ipsum quacumque demum ratione affatim nimiaque copia propinatum, vel corporis refrigeratio sub modico etiam huius remedii usu, imprimis exundante atmosphaerica electricitate, potissimas eczematis mercurialis caussas sistere videntur. Eczema mercuriale in puero ubera matris mercurium sumentis, sugente ad internam superficiem, absque ullis luis venereae symptomatibus, se observasse, testatur Ioseph Frank.

XI.

Eczema mercuriale confundi potest cum miliaribus, urticaria nodosa, zostere, pemphigo, herpete, et venereis impetiginibus, a quibus fas erit ipsum secernere privis singulorum notis.

XII.

Miliaria siquidem ad colli latera, mammas, cubitum erumpunt; ad scrotum, et crura efflorescit eczema mercuriale; eruptione absoluta pruritus in multis nullus, in aliis moderatus est, pergit ex adverso in eczemate, imo saevit: liquidum in phlictaenis contentum mite, inodorum in miliaribus; acre, foetidumque in eczemate. Urticaria nodosa in febribus plerumque symptomatibus gastricis stipatis, occurrit; febris ferme catharralis socium eczema observatur; tuberculi apex ex albo rubrum est in urticaria; obscure rubro colore notatur totum tuberculum in eczemate; fugax in priore, constans in altero. *Eczema mercuriale* sub forma pustularum erumpens summe pruriens pro *zostere* haberi posset, nisi illud totam quam aggreditur partem; hoc medietatem tantum teneret; si eczema mercuriale pustulosum pustulas solito maiores referret, sique chronice incederet cum pemphigo confundi posset.

XIII.

Mercuriale eczema antiphlogistica in universum auxilia perinde ac illa quae catharrali morbo occurrunt, exposcit; praeprimis ab hydrargyri usu protinus temperandum, dermatis irritatio compescenda, crustae amovendae; antimonialia minus fortasse utilia censentur quod irritantia sint, sed potius diaphoreticis, ceu roob sambuci, dulcamarae decocto, balneis simplicibus, tepidis, ac sulphureis, quibus stimulus, ac cutis irritatio temperatur, occurrendum; subinde catharticorum ope revulsio utilis fit, ac salutares vacuationes cientur. Frigida vero balnea ab Alley commendata cautissime a prudenti medico usurpanda.

XIV.

Post modum devicta febre tum balnea sulphurea, tum usus internus aquae gaz-acido hydrosulphurico saturae valde commendantur; eodem consilio radicem inulae helenii profuisse testatur Frank Ioseph. Crustarum amotionem consequi erit fotubus emollientibus, nec non embrocationibus ex oleo amygdalarum dulcium, cremore lactis peractis, sedulo monentes, ne aegri crustas scalpant. Agripniae ac molestis nervosis turbis sedandis paregorica, ac anodyna conferunt: externa vero quaevis remedia, potissimum saturnina cum sanioribus esse expungenda, ceu noxia arbitramur. Ferrum utpote in mercurialibus ulceribus faucium commendatum ab Horn, tentandum esse suadet Frank.

XV.

Ceu eczematis modum ac varietatem spectandum Ectyma Willan ab *ecthyo* ferveo, erumpo, dictum, *Phlyzacion* aliis a graeco *Phlyzo*, bullio, vocatum quod mixtum habet vesiculo-pustulosum ingenium, unde ab Alibert dicitur Pustula bullae in modum erumpens coxas, brachia, digitorum intervalla aut manus dorsum infestans, quodque in *vulgare*, *infantile*, *luridum*, *cachecticum* partitur Willan, *acutum* ac *chronicum* satius dividunt alii, cuius Aethiologia, non secus ac therapeia cum illa eczematis apprime congruit.

IMPETIGINES PAPULOSAE

DE HERPETE

I.

Polymorpharum impetiginum princeps genus est *herpes* ab *herpo*, serpo, unde latinis serpigo, a Gallis vero *dartres*, italis *salium, salsedinis* generica voce vernacula *derbie*, cognitus. Herpetis autem nomine designatur eruptio papularum, quae vix supra cutem assurgentes nunc rubrae, alias pellucidae, alias et flavae prurientes cum sensu ardoris, tensionis coalescant corymbos, erythematicae maculae superinsident, tempore non definito aperiuntur, tenuem saniem fundunt, in crustam abeunt, furfuris demum forma delabuntur.

II.

Herpes a nonnullis confusus est cum igne sacro: at expeditum est distinguere: etenim ignis sacer est morbus acutus, ac febrilis: contra herpes est affectio chronica, neque pyrexia necessario stipatur.

III.

Variae sunt propositae herpetis distinctiones. Communis ea est, qua dispescitur in herpetem simplicem, miliarem, phlyctaenodem, squammosum, erodentem, phagaedenicum. Herpes simplex, quem alii siccum nominant, et Alibert benignum furfuraceum appellat, ille est, in quo extima cutis totidem exigua exhibet grana, seu parvas squamas, quae nunc arcte adhaerent, alias facile secedunt. Herpes miliaris plurimas offert pustulas milii granum exhibentes, cum magno pruritu, tensione ac calore quae brachia, crura, tibias, scrotum infestat; unde cum miliaribus comparatus. Tertia species erodens dicta, quatenus sanies quadam pollens causticitate proximas partes depascatur. Demum herpes phagaedenicus, cancrosus potest considerari tamquam supremus herpetis erodentis gradus. In eo enascuntur ulcera, quae consanescunt quidem, licet lente, at mox iterum disrumpuntur, et sic perennem ichoris fomitem servant. Aliae quoque herpetis varietates a figura, extensione diuturnitate notatae: sic a figura herpes *circinatus* vel *anularis*: herpes *iris*: quoad extensionem in *localem* et *generalem* tributus in *fixum* et *vagum*: a diuturnitate in *periodicum* et *perenne*: quoad originem in *haereditarium*, *congenitum* et *acquisitum*, demum in *siccum* et *humidum* dispescunt, prout materies fluidam servat formam aut aëre densatur. Herpeti affine vitium est epidermidis instar pulveris per frictionem decidui, separatio cum aliqua humoris exsudatione sine papulis, vesiculis et phlogosi, quod *porriginem*, *pytiriasim* dicunt, *capitis* praesertim capillitio infensum: *furfuram* vocant si in furfuracea frustula, *ichthyosim*, quando in squamas extima cutis lamina resolvitur.

IV.

Herpes saepe aliis se morbis adsociat: ac praesertim syphilidi, scrophulis, scorbuto. Nihil itaque vetat, cur in simplicem, et complicatum tribuamus.

V.

Plerumque affectio exteriora integumenta occupat: at interdum etiam partes internae multari videntur. Quod praecipue tunc contingit, quum herpes derepente extimas sedes deserit, et molestiae in oesophago, ventriculo, ac intestinis excitantur. Frequenter infestat frontem, mentum, genas, collum, labia, unde *mentagra*, *collagra*, *herpes labialis* dicitur, qui infantibus et pueris dentitionis tempore infestus *ignis sylvestris* seu *volatilis* etiam appellatur: similis affectio syphiliticis frequens frontem obsidens *herpes corona veneris* dicitur.

VI.

Herpetis caussae remotae distingui possunt in praedisponentes, et occasionales. Ad priores referuntur temperamentum pituitosum, cutis gracilior, aut sensilior, habitus corporis cachecticus: tandem labes haereditaria. Caussae occasionales praecipue sunt insolatus, aëris vicissitudines, humidorum locorum incolatus, alimenta dispepta, aquarum marcescentium potus, demum ea, quae cutem irritare valent, graves puta frictiones, et chemica nec non mechanica irritamenta.

VII.

Non infrequens est ut herpes per consensum excitetur. Ita haemorrhoidum, catameniorum, sudoris pedum suppressio, parcior urinae excretio non raro herpetem gignunt.

VIII.

Sunt qui velint, aliquot esse insecta, quae herpetem faciant, veluti alia scabiem producunt. Nihil hactenus est, quod hanc sententiam confirmet.

IX.

Quaesitum est, utrum herpes sit contagiosus, nec ne. Non facile est litem dirimere. Si autem experientiam consulamus, haec quadam cum probabilitate constitui posse iudicabimus. 1.° Interdum herpes excitatur ab aliis caussis, non a contagio. 2.° Herpetica affectio persaepe per attactum saniei ab ulceribus manantis communicatur. 3.° An haec sanies vere contagiosa est? an tantummodo agit veluti acre, et causticum? Non facile pronunciaveris.

X.

Herpes morbum sistit molestissimum, at plerumque non ominosum: herpes a labe haereditaria oriundus, si adventante pubertate non decesserit, vix amplius curationem admittit: herpes inveteratus in ulcera carcinomatosa facile degenerat, et refractarius omnino est.

XI.

Curatio topica sola raro sufficit: alias infida. Universalis suscipienda. Si morbus tamen productus fuerit a caussis, quae suam actionem in cutem directe exercuerint, nec adhuc inveteraverit, sat esse potest ad topica confugere. Caeterum si ab universali corporis conditione foveri videatur, vel per longas iam invaluerit moras, praeter topica externa ea praescribenda sunt, quae indicantur ad universalem morbosum statum abigendum.

XII.

Varia remedia ad curandum herpetem proposita. Praesertim autem recenseri merentur sulphur, sulphuretum

antimonii, oxydum antimonii sulphuratum, tartras potassae antimoniatus, vinum antimoniatum, sulphur auratum antimonii. Commendantur quoque stipites dulcamarae, radix salsaparillae, radix tuberosa chinae, herba scabiosae, violae tricoloris tum in substantia, tum sub forma decocti: neque reticendi succi fumariae, cichorii, trifolii fibrini, cochleariae, beccabungae, id genus aliarum stirpium. Ex cognita varia memoratorum remediorum agendi ratione, exploratisque aegri viribus, morbi specie, ac gradu, tum peculiaribus adiunctis, morbosisque, siqui sunt, complexibus, et caussis, quae seligenda, quove modo, ac tempore sint usurpanda, prudentem, et oculatum Clinicum decet eruere. Alvus generatim expedita servanda vel clysteribus, vel lenibus eccoproticis pro re nata exhibitis. Haud tamen facile illorum opinioni assentimur, qui adeo frequentem in herpete affectis purgantium, et quidem vehementium usum commendant, ut in prolicitis alvi excretionibus praecipuum curationis cardinem constituendum esse opinentur.

XIII.

Externa non sunt negligenda. Lenes, si ferri queant, frictiones instituantur. Balnea thermalia sulphurea laudantur, marina, saponacea. Unguentum citrinum Beaumè, vel mercuriale parti affectae illitum maximas saepe attulit utilitates: quod pariter de solutione deutochlorureti mercurii, et de aqua phagaedenica constat nec non de unguento ex hydro-chloro, nicotianae, sedi palustris, ulmi campestris, corticis viridis iuglandis, similibus. Quod ad adstringentia remedia, et praesertim ad plumbi praeparata pertinet, nunquam non metuendum, ne detrimento potius, quam utilitati sint. Tutius in recenti et

topico herpete emollientia cataplasmata, balnea, illitiones usurpantur quibus inflammatio compescitur, ac crustae secedunt.

XIV.

Quandoque herpes memoratis auxiliis reluctatur; tum vero iuvat ea praescribere, quae valida sua irritatione novam veluti tegumentorum conditionem inducant. Tali consilio Richerand recte suadet, ut parti, in qua eruptio herpetica residet, admoveatur vesicans. Proposita et sunt cauteria, quae fidenter in inveteratis admittenda esse non dissentimus. Interim accedat aptum regimen, ac lene corporis exercitium, devitatio caussarum, quae acritate, et stimulo nocent. Interiora petens herpes diaphoreticis, frictionibus, externis fotubus, vesicantibus, vel rubefacientibus ad cutim revocandus. Munditiei studendum, et curandum semper ut non solum affectarum partium, sed et totius corporis superficiei libera perspiratio servetur.

XV.

Ceu herpetis varietates spectandae papulosae binae impetigines quarum prior utpote vegetalibus cryptogamis lichenibus affinis humanam impetens cutim *lichen* dicta a Pathologis est, a graeco leico, lambo; altera, quae molesto pruritu stipatur *pruriginis* nomine cognita.

Lichenis autem nomine intelligimus congeriem papularum rubrarum et flavicantium in corporis superficie a quibus exsudat humor qui siccatus crustas efficit furfuraceas: in facie, ad brachia necnon per truncum artusque inferiores potissimum serpunt atque notabili pruritu noctu praecipue stipantur quas *epinictidis*, *uritidis nocturnae* nomine dixere alii. Vernali tempestate plerumque oriuntur, interdum cephalgiae, febrium, aliorumque mor-

borum criticam sistit eruptionem, atque ab iisdem ac herpes cietur caussis similemque therapeiam exposcit. *Pruriginem* vocant pathologi papularum efflorescentiam cuti concolorum vix visu, tactu vero percipiendarum, quae modo universum corpus impetit, nunc nonnullis tantum circumscripta partibus, intolerabili pruritu potissimum a lecti colore vel ad ignem adaucto notatur et *caloris* generico nomine vulgo appellatur. Frequens haec in subiectis polychilia laborantibus aut gastrica cachochilia aut qui aromatibus, salsis, acribus abutuntur; huius autem aethiologia, nosogenia et therapeia cum illa herpetis consensit.

DE PELLAGRA

I.

Chronico incedendi modo, perinde ac externa forma *Cacordematibus* accensenda *Pellagra* est, insidiosus morbus Insubriae endemicus, nonnullis in Pedemontii pagis potissimum penes Canapitienses inter egenos serpens, nerveum systema maxime afficiens, erythemate et desquamatione partium aëri expositarum, praecipue manuum, pedumve dorsi ferme semper stipatus, autumno et hyeme evanescens, vere recurrens. *Dermatagram* hunc appellat Titius. Dissident pathologi circa nominis etymon, fatendum hoc non satis innotescere; fortasse a cuticulae desquamatione ita dicta unde *Pellarina* vernaculo idiomate nuncupata vel ex pelle latina voce et a graeca *agra*, captura.

II.

Disputatum est de tempore, quo primum apparuerit: nonnulli antiquam esse putarunt: iuvat animadvertere, nullam symptomatum enumerationem pellagrae naturam declarantem in veterum Medicorum scriptis, ante elapsi saeculi initium, adesse: ipsos scriptores, qui in Italia

floruerunt, et in regionibus, quas infestat pellagra, de ipsa verba non fecisse: tantum vero morbum veteribus in observando, et describendo sollertissimis praetermissum fuisse, non est credibile.

III.

Sub aequinoctio vernali potissimum egenos agricolas praesertim adoriens qui sub solaribus radiis gravioribus dant operam laboribus, quorum alii in pellagram magis proclives tristes primo evadunt, morosi, levi labore defatigandi, lassitudine, capitis dolore, vertigine afficiuntur, mox ardore quodam urente, tensione in pedum, et manuum dorso, quae roseus rubor, et furfuracea epidermidis separatio excipiunt: alii hoc cutis vitio primum laborant, deinde caeteris symptomatibus: cutis vitium per aestatem minui solet, et maxime per autumnum: hyeme vero ingruente ita saepe evanuit, ut aegroti sanitati restituti videantur: ineunte vere cum caeteris symptomatibus iterum apparet: nonnulli hoc affecti consuetos labores haud incommode perferre valent.

Verum cum serius ocius morbus ingravescit omnibus laboribus impares aegroti evadunt, summam artuum inferiorum debilitatem accusant, scelotirbe festinante, ita a Sauvagesio dicta, correpti anterius inclinato corpore currere coguntur donec vel aliquid offendant, cui adhaereant, vel humi concidant nisi ab adstantibus sustineantur: ardor oris et faucium, sitis, dysphagia vexant: uberrimus salivae est fluxus, saporem in ore salinum percipiunt: ciborum deest appetitus: bulimia pica alias vexantur: saepius autem intensa fame, quam lupinam dicit Strambius, sirigmus, caligo, diplopia, vertigo caduca adsunt: alias sine vertigine caput adeo

grave aegrotis videtur, ut ab intolerabili eius pondere anterius tracti in terram impingant; quod cum soli obiecti sunt, evenire solet: capitis, spinae dorsi, plantarum pedum atrocissimi, urentes dolores discruciant: tremor artus corripit: tristitia, solitudinis amor, vitae taedium accedunt, mortemque sibi saepe numero intentant. Iterum imminuuntur autumno et hyeme terrifica haec symptomata, nonnumquam evanescunt, adeo ut laborum malorumque obliti quodam cum oblectamento hyemem transigant: at primo vere saevius afflictura denuo se produnt.

IV.

In postremo morbi stadio omnia pellagrae symptomata intenduntur, capitis dolor atrocissimus, ardor, susurrus adsunt; dolores a capite, et spinali medulla ad artus modo superiores, modo inferiores producti intollerabiles evadunt, somnum arcent, pulsus parvi vel frequentes, vel tardi, alias debiles, alias validi, duri: maximus ardor varias corporis partes, pedum plantas potissimum urit: convulsionibus, contractura laborant: in nonnullis pedes ad nates accedere visi sunt, ut aegroti in globum fere essent contracti, tremor artuum adaugetur, tendinum se produnt subsultus. Dum aegroti in lecto comedentes sedent, vel progredi nituntur, tensae veluti cordae sensum experti, modo antrorsum, modo retrosum ad latera trahuntur: tetanon, opisthotonon, emprosthotonon, pleurostotonon diceres ni brevi haec contractio evanesceret. Musculi pedis, surae, et manus crampo afficiuntur, sudores erumpunt universales, foetorem mucidi panis, vel illum qui e bombycum folliculis maceratis exhalat, emittentes; cardialgia, diarrhoea, vel dysenteria excitantur: dentium stridor, spasmus cynicus, nystagmus, carpho-

logia, scelotyrbe instabilis, lipothymiae, syncopes accedunt, horrendamque scenam complet vix unquam evitabilis mors.

V.

Praecipua haec sunt pellagrae symptomata, quae tamen ratione ordinis, et indolis multas offerunt varietates. Porro cutanei vitii non eadem semper est forma: aliis post ardorem atque ruborem in furfures abit cuticula: aliis praeterea in amplas phlyctaenas sero flavescente turgidas, perinde ac si ambustio praecesserit, attollitur: aliis demum nigricans, et exsiccata nullo praegresso ardore, vel rubore, sensim separatur: primum vitium erysipelas *simplex*: alterum erysipelas *phlyctaenosum*: tertium *simplicem desquamationem* appellavit Strambius: neque uni pedum, manuumve dorsi pellagrosa labe deturpantur, collum, sternum, brachia, aliaeque partes, quas agricolae, dum agrestibus incumbunt laboribus nudas gerunt, affici visae sunt, facie plerumque illaesa.

VI.

Cutis vitium non respondet vi morbi: aliis, docente Strambio, levis est morbus, horrida cutis affectio: alii cute vix deturpata in desperato iam morbi gradu versantur: idem aegrotus altero vere erysipelate simplici, altero phlyctaenoso afficitur, nullo interim in caeteris morbi symptomatibus discrimine oborto.

Licet cutis vitium aequalem non servet cum caeteris symptomatibus procedendi rationem, consentiunt tamen auctores, ipsum sub morbi initio leve esse: paucis post annis adaugeri, exsiccari, nigrescere, callosam fieri cuticulam, rimis findi, in squamas abire; sicque glabram obtutui se praebere.

VII.

Iuverit adnotasse, partes corporis prae caeteris dolore conflictatas caput, et spinam dorsi esse: acubus pungi, clavis terebrari, intolerabili pondere gravari, rodi, lacerari caput, saepe quaeruntur pellagrosi: alias quemdam ardorem in capite vel adinstar flammae cerebrum urentis percipiunt, vel molestum sonitum experiuntur, quem vel cum rota molendinaria circumrotante, vel cum malleorum percussione et fragore, tintinnabulo, cicadae cantu, comparant. Tales dolores nullam in cerebro constantem sedem habent, et frontem, vel sinciput, aut occiput, aut tempora occupant, aut hac illac vagantur. Dolores spinam dorsi torquentes facile et momento temporis sedem mutant, modo superiorem, modo inferiorem partem occupant: varia inde pathemata emergunt: cum iuxta cervicales vertebras discruciant, brachia stupore, crampo, tendinum subsultu, formicatione afficiuntur: si paullulum descendentes inter dorsi vertebras subsistant, thorax afficitur; si ad lumbos, abdomen in consensum trahitur cum umbilici retractione, et artuum torpore: si ad os sacrum subsideant, tendinum subsultibus, crampo, paraplegia, punctionibus dolorificis extremitates inferiores corripiuntur: vagi autem dolores pectus et abdomen possunt afficere, licet nulla spinam dorsalem tenere videatur affectio: dolores demum nervorum tractum nonnunquam sequuntur: perhibet Strambius, dum ipsorum cursum significare volunt aegroti, ipsos nervos vel ischiaticum, vel cruralem digito designare ut in vera ischiade nervosa Cotunii. Illud est addendum, interdum tum ardorem, tum convulsiones et dolores alteram tantum dimidiam

corporis partem afficere, quod vitium Strambius appellavit *hemiopalgiam*.

VIII.

Delirium pellagrosorum ab eodem Strambio in acutum et diuturnum distinctum est: acutum febri stipatum, pulsu celeri, atque duriusculo ad paucos dies protrahitur non sine vitae discrimine: diuturnum a fatuitate, vel a melancholia constituitur: per hunc alii aegroti stupidi apparent, alii societatem fugiunt, interdum eo deveniunt, ut se laqueo suspendant, aut praecipites in aquas agant: effraenis haec cupiditas se se praecipites dandi in aquam eos etiam afficit, qui animi compotes videntur: *hydromania* a Strambio appellata fuit, *maniam pellagrosam* dixit Liberali, quam plogosis sobolem tuetur.

IX.

Ephelidibus, herpetibus, porrigini, ulceribus, ecchymosibus varii coloris cum scorbuticis, ex Strambio, non confundendis, interdum ipsi scorbuto, chlorosi, hypochondriasi, aliisque morbis pellagra adsociatur.

X.

Nulli temperamento, nullique aetati parcit: pueri lactentes, et senes afficiuntur, sed caeteris facilius media aetas: foeminas rusticani laboris sollicitas qua pollent sensilitate prae viris corripi Albera, Solerus, Fanzagus, Strambius, aliique consentiunt: in valle Fiemmensi principatus Tridentini, ubi vitam umbratilem eaedem degere solent et laboribus rusticanis minus quam viri deditae sunt, contra narratione rem evenire tradit Comini.

Tamquam morbum agricolarum proprium Frapollius, et Gherardinius pellagram spectarunt; verum et foeminae domesticis curis incumbentes, et artifices, asseverante Strambio, ipsa corripi visi sunt.

Putavit Fanzagus, in agris solum pellagram vigere; at vero in aliis urbibus, et Mediolani pellagrosos cives Strambius et Cerri quamvis in urbe ii nati essent, ibique aliquamdiu iam degerent, villaticos tamen quondam fuisse, dein ad urbem se transtulisse.

Praedispositionem haereditariam pellagrosos parentes soboli tradere innumera sunt, quae testantur: omnes ferme pellagrosos ab aliis ortos cernas: tenella aetate, levissima de caussa, pellagrosorum liberi pellagra tentantur.

Contagium pellagrae caussam esse nonnulli suspicati sunt; quod haud probabile videtur: profecto per contactum, praecipuum contagiorum characterem, pellagra non transmittitur: pellagrosae nutrices pueris ubera praebent quin eis communicent morbum: pellagra affectos sani tractant impune, communi poculo bibunt, eodem in lecto decumbunt, nec morbum suscipiunt: Gherardinius partes vitio pellagroso affectas, humoremque expressum data opera attrectavit, pressit; nihil passus est: Buniva salivam pellagrosorum, sanguinis guttas a pellagrosa cute manantes, materiem sub cuticulam, vel sub cutim positam sibi fidenter inoculavit; nec pellagram suscepit.

Italiae nostrae, et fortasse Asturiarum endemica est pellagra: morborum endemicorum caussae, quod iam Coüs docuerat senex, vel aër, vel coelum, vel alimenta, vel vitae ratio esse solent. Quaeras cuinam ex hisce pellagram oporteat tribuere: tam in elatis quam in humilibus, in palustribus perinde ac in siccis locis viget: facilius vero ubi aër minus est purus: hinc diutina mora in atmosphaera stabulorum impurusque aër, corporis, cu-

biculorum sorditudo, frigoris calorisve vicissitudines inter morbi caussas reposita sunt: farinam zeae mays illius praesertim, quae maturare nequivit vel solam, vel insipidis stirpibus coniunctam pellagrae caussam habuit Marzarius: putavit tum propter parvam nutrientem horum vim, tum propter noxium principium farinae zeae mays inhaerens, gigni in agricolis, et parari hyemali in otio pellagrae germen quod luce, vel calore, vernali tempore excitatur atque evolvitur. Alimenta oligochyla, et praecipue zeam mays, quam parum nutrientem habuit, inter pellagrae caussas ipse reposuit Fanzagus: non haec alimenta per se morbum posse gignere vel quid noxii ipsis esse com Marzario tradidit, verum ab ipsis praedisponi agricolas adeo ut levibus occasionalibus caussis in morbum coniiciantur: in talium caussarum censu febres autumnales male iudicatas, purgantium, vel venae sectionum abusum, animi pathemata deprimentia, in foeminis menstruorum suppressionem, abortum, illudque omne ponit quod vitae vires valet infirmare.

Iuvat animadvertere etiam locupletes homines bene pastos, vino indulgentes a multis auctoribus pellagra affectos observatos esse: non est negandum alimenta dyspepta, cacochymica, parum nutrientia praecipuam esse caussam, qua ita afficiantur homines ut pellagra implicentur; illud teneas, inopes agricolas prae caeteris in ipsam incidere, non est tamen dissimulandum haud ita facile intelligi posse una parum nutrientia alimenta satis esse ad pellagram producendam: alimenta parum nutrientia debilitatem adducere facile concipimus, pellagram per se excitare posse difficile; pellagra non

semper a debilitate vera fovetur: multi sunt qui pultibus ex zea mays, quas in deliciis habent, vescuntur, non ipsis addunt nisi caseum et olera, a pellagra tamen vivunt immunes: quidquod cum omni anni tempore parum nutrienti victu alantur agricolae, caussisque patent occasionalibus quas recenset FANZAGUS, pellagra tamen adventante vere se prodit? Consentiunt plerique auctores vitii cutanei caussam insolationem esse: profecto nudae dumtaxat partes vitio pellagroso afficiuntur: eo usque vitium producitur, quo velamina extensa sunt: obvelatae partes vitio pellagroso neutiquam laborant. STRAMBIUS, et FANZAGUS insolationem quam cutanei vitii certam caussam habent, nihil caeteris producendis pellagrae symptomatibus conferre scripserunt: nos etsi insolationem unicam non esse pellagrae caussam, et ad pellagram producendam satis per se non esse concedamus, ipsam tamen vel atmospherae temperiem vernali tempore auctam, vel ipsum clibani, ut ait CERRI, vel aliud caloricum reflexum ad pellagram producendam in praedispositis conferre arbitramur. Animadvertimus vere pellagram primum apparere, vel cum chronica facta sit ingravescere, ut in nosocomio Lignanensi STRAMBIUS observavit: ipsam in agris vigere, prae caeteris hominum conditionibus agricolas, et eos qui magis soli se obiiciunt adoriri.

Regeras a pellagra immunes vivere populos meridionales: respondemus: 1.° Ipsos a natura ita esse a natura constitutos ut ab insolatione, et ab aucta atmosphaerae temperie minus patiantur. 2.° Hyemes in illis regionibus non rigidas esse uti apud nos; solis vi assuetos esse, neque coruscantibus solaribus radiis ut

agrestibus laboribus incumbant ita facile obiici uti nostros villicos. 3. Non donari illos populos ea praedispositione quam vel ab haereditate, vel ab aliis caussis inopes nostri agricolae habuerunt.

XI.

Quaeras adhuc cur cum pellagrae caussae nullo non tempore existere potuerint, ipsa tamen non apparuerit nisi ineunte saeculo elapso: animadvertimus alios esse morbos, a quibus primaevis temporibus immunes vivebant homines, quorum caussae occasionales licet iam tum esse possent, tamen propter praedispositionis defectum, morbos omnes non producebant quibus nostra aetate homines laborant: morborum numerus sensim in dies augeri visus est, prout homines complures vitam agere coacti sunt eorum naturae minus aptam: sic ex caussarum quas superius memoravimus concursu, in Italiae nostrae, vel Asturiarum agricolis pellagra primum producta fuit, quae levem morbum sub eius initio sistebat; mox vero cum labes pellagrosa a parentibus in liberos propagari caepta est, gravior facta fuit, per plura loca dispersa, pluresque homines afficiens, ut ex historia erui potest; vitium haereditarium multum pellagrae producendae confert, ut superius innuimus: qui habitum, ut ita dicam, pellagrosum a nativitate sortiti sunt, ita facile in pellagram incidunt, ut caussae occasionales, quae primis pellagrae temporibus necessariae ad pellagram producendam ducebantur quia maiori et magis diuturna ipsarum actione opus erat, nunc cum levissima earum actio sufficere potest, vel vix aliquid, vel nihil pellagrae origini conferre nonnullis visae sint: qui haec aliaque considerat facile intelliget, cur primi

pellagrae scriptores insolationem vel unicam uti Frapollius, vel occasionalem tantum caussam habuerint uti Gherardini et Albera, posteriores vel parvi fecerint, vel omnino neglexerint: nos insolationem nolumus e pellagrae caussis omnino expungere, atque hanc ipsam super cutim a praegressis frigore et diutina in stabulis mora acrius sentientem, languorem ex prava alimonia et improbo labore prophasim morbo praebere potissimum, putamus.

De caussa proxima discrepant auctores: nos symptomatum et autopsiae cadavericae ratione habita, praecipuum morbi fontem in nervei systematis affectione ac gastro-meningite chronica perquirendum, remur.

In cadaveribus pellagra denatorum in externis corporis partibus livores a sanguine effuso, maculae gangraenosae, lividae, suggillationes in variis corporis partibus interdum observatae sunt: in cavitate cranii seri flavescentis colluvies, vasa piae meningis, aut plexus choroidei, vel cerebri sanguine turgida, meninges atque cerebellum inflammata, abscessus in cerebro, et ipsum cerebrum durum, scirrhosum inventum est: in cavitate pectoris aquae, vel puris collectio, pulmones inflammati, *hepatizati*, vel tuberculis referti: tracheae, pleurae, mediastini, diaphragmatis erosiones: in abdomine praeter seri effusionem facies interna ventriculi exulcerata, quasi inflammata, saepius intestina, et mesenterium erosa, maculis gangraenosis veriegata, iecur vel mole adauctum, vel exulceratum, vel scirrhosum; vesica urinaria collum versus phlogosi rubens.

XII.

Variae pellagrae divisiones ab auctoribus propositae

sunt: STRAMBIUS triplicem in ipsa gradum considerat primum intermittentem, alterum remittentem, tertium continentem appellat: nos accipimus pellagrae divisionem, quae ad curationem conducit in inflammatoriam quae frequentior, et exquisite nervosam quae rarior; ex attente vero perspectis morbi caussis, tum externorum, internorumque symptomatum complexu, nec non ex iuvantium et laedentium consideratione duci poterit Medicus ad assequendam diathesim, qua pellagra potest stipari.

XIII.

Difficilis sanationis pellagram esse omnes Clinici profitentur: eius prognosis a leviori vel vehementiori morbi gradu, ab aetate, sexu, temperamento, aliisque erui potest: foeminae, atque aetate provecti in maiori vitae discrimine versantur quam viri atque adolescentes: cum sicca, serenaque hyems fuit citius pellagram evolvi, et saevius conflictare GHERARDINI et TITIUS tradunt: eius gravitas nec a cutis vitio, nec a morbi diuturnitate eruenda: alii ad multos annos eum facile ferunt; aliis vitae periculum confestim incumbit: in nonnullis quum plane deletus videretur, levissima de caussa iterum productus est: cetera symptomata adeo varia in variis hominibus, in vario stadio offert, ut difficile sit definire quaenam boni, quaenam mali ominis sint: pellagra hydrope, scorbuto, asthmate, phthisi, chlorosi, hypochondriasi complicata pessime ominatur.

XIV.

Pellagrae curatio varia esse debet pro gradu et varietate diathesis, nec non pro variis stadiis: FANZAGUS putat curationem ab emetico iniri oportere quo materies viscidae ventriculi, atque intestinorum parietibus

haerentes excutiuntur; diluentibus, temperantibus Frapollius, Zanettius, Odoardus, Gherardinius, Albera, Allionius, Sartagius in primo pellagrae stadio feliciter usi sunt: refractas tartari stibiati doses, cathartica mitia serum lactis purum, tamarindatum, nitratum, vel nasturtii, beccabungae, fumariae, cochleariae succo admixtum, vel harum stirpium decocta, vel illa salsaparillae, ligni guaiaci, sassafras, smilacis asperae, radicis rumicis patientiae, radicis bardanae, stipitum dulcamarae, ex ipsorum scriptis feliciter adhibita fuisse constat. Hac metodo utebatur Strambius uti ex pretiosis eius historiis erui potest. Hisce accedat oportet vita umbratilis, non autem plane desidiosa, qua leviora pellagrae symptomata et cutaneum vitium dissipantur: nonnumquam partibus externis cum inflammatio et ardor intensa sunt, emollientia iuvat admovere.

Maximum remedium in pellagrae curatione suppeditant balnea subtepida, mucilaginea, quae et cutis vitio, et aliis symptomatibus praecipue vero nervosis turbis levamen attulisse proditum est; caute tamen cum ipsis erit mercandum; delirium enim, aliaque symptomata ab ipsis interdum augeri visa sunt: languentibus totius corporis viribus, balnea localia, universalibus erunt anteponenda. Praeter recensita, alia remedia ad pellagram curandam utilia memorant scriptores: aquam calcis diu continuatam feliciter sibi cessisse narrant Fanzagus, Thoutenelius, Guerreschi, aliique. Ad complendam pellagrae curationem frigidiusculam e limpido fonte depromptam aquam aegrotis propinabat Albera, quam neque omni sub stadio, neque omnibus sub adiunctis utilem observarunt Strambius et Marzarius: in

pellagra scorbuto sociata acida conveniunt, atque mirabiles utilitates ope muriatis hyperoxygenati potassae (chloratis potassae) aqua soluti se percepisse narrat Sette.

Haec quidem opportuna diaeta accedente pellagrae possunt mederi; at vero si in robustis pellagrosis gravi vigente cutis inflammatione, cum oris et faucium ardore; pulsus duri, tensi sint, vel inflammationis in aliquo viscere metus adsit, vel iam praesens sit inflammatio, nemo non videt ad validum, quod medicina suppeditet auxilium, ad venae sectionem confugiendum esse, quae tamen in pellagra semper parca manu et prudenter est instituenda. Interdum loco venae sectionum hirudines naribus vel temporibus, vel vasis haemorrhoidalibus adponere ac cucurbitulas incisas dorso vel occipiti admovere praestat, unaque simul temperantia, demulcentia apposita praescribere quibus phlogisticae peculiari conditioni occurratur, quo consilio et digitalis infusa epicratice propinata nec non alia huius census therapeutica praesidia laudantur.

In adversis rerum adiunctis quandoque conducunt, magna vigente pathologica debilitate, excitantia, uti corticis peruviani decoctum, aetheres, liquor anodynus, ammoniaca, vinum generosum. Internis praesidiis externa addere iuverit, vesicantia, sinapismata, frictiones vel siccas vel humidas, oleis aromaticarum stirpium vel spirituosis liquoribus institutas: subcalidum balneum, quo brevi temporis intervallo mergantur aegroti, non effectu carebit: bonum pariter erit aegrotantes, si valeant vires, corpus aliquantulum exercere.

Omnibus auctoribus persuasum fuit, pellagrae sana-

tionem ab alimentis eupeptis, euchimis absolvi: cum igitur vehementia si quae erant eius symptomata evanuerunt, et vires ventriculi bene ferunt, ad nutrientia confugiendum est, quae dum vires pellagrosorum restaurant, imminuunt, vel tollunt eorum ad pellagram praedispositionem: huc spectant pulmenta ex triticeo pane, vel ex salep, aliisque amilaceis substantiis confecta, oryzae decocta butyro vel iusculis condita, pisces, carnes iuniorum animalium, quibus unicae fere pellagrae curationem expleri arbitrati sunt Fanzagus, et Marzarius; animadvertentes tamen sensim sensimque pellagrosorum vegetalem victum mutari oportere: ad animalem gradum esse faciendum. Lac summis laudibus celebratum fuit a pellagrae scriptoribus; poterit igitur pellagrosis qui illud bene digerant, abunde propinari.

XV.

Pauca de prophilaxi: haec autem unis hygienicis praesidiis versatur. Danda opera est, ut agricolae euchimo victu alantur: prophylacticum proterea princeps est panis ex pura tritici farina confectus, vel ex ipsa aliis farinis, uti tuberum solani tuberosi, numquam farinae zeae mays, commixta. Bonum erit, agricolas vegetali animalem victum identidem adsociare; radios solares, vere potissimum, fugere, vel galerum paleatum gestare, crura caligis, manus chirotecis defendere, stypticis abluere: balnea identidem ingredi. Si omnia irrita cesserint, vel minima de caussa pellagra iterum se prodat, tutius ipsis erit praesidium vitae generis mutatio.

DE PUSTULOSIS IMPETIGINIBUS

DE SCABIE SEU PSORA.

I.

Foedum, maxime exosum, ac summe contagiosum morbum sistit scabies a scabendo, Graecis *psora* ex verbo psao, scabo, Gallis *gâle*, *gratelle*, Italis, ac nobis Subalpinis *scabbia*, *rogna* appellata. Psorae nomen retinuit Cullenius, a quo inter localium morborum classem, ac in dyalisium ordinem recensetur, eamque constituunt iuxta ipsum *pustulae*, *et ulcuscula pruriginosa*, *contagiosa*, *manus male habentia*.

II.

Adeo facile communicatur scabies, ut iam Willisius dixerit, nullius morbi labem, peste excepta, facilius, aut certius propagari. Sane vel immediato contactu, vel per vestes, indusia, lintea, stramenta, aliosque quotquot sunt, attactus modos nullo negotio communicatur, et in alios transit, brevique tempore videre est

integras familias, societates, coenobia huic subiacere infortunio. Hinc cur in orphanotrophiis, carceribus, navibus, castris, aliisque in locis, ubi congregati plures degunt, maxime saeviat; cur et eadem iam subacta facile renascatur ab usu vestium, stragulorum, linteorum, nisi diligens eorumdem praecesserit lustratio; cur contumax saepe ad menses, et annos duratura passim animadvertatur invitis ad eamdem curandam, in usum ductis auxiliis.

III.

Praecedente nonnunquam ardoris sensu, levique titillatione in partibus, ubi primum eruptura est scabies, serius, ociusque manifestata est sub forma minimarum pustularum, quae a grani milii exiguitate ad lentis magnitudinem protensae, rotundae, duriusculae, nunc discretae, nunc confluentes ad basim saepe cuti concolores, interdum subrubellae, ad apicem liquore seroso, limpido, plus minus viscido replentur. Continuum, ac insignem adducunt hae pustulae pruritum a calore, maxime vero lecti, tum ab usu stimulantium, acrium, a nimio corporis exercitio adauctum, qui ad scalpendum invitat. Tunc vero ardens, igneus evadit pruritus, intolerabilis interdum, quo fit, ut miseri hoc malo pressi vigiles, irrequieti scalpendi desiderio usque et usque cum quodam etiam voluptatis sensu indulgentes eo perveniant, ut cutim excoriantes cum contento in disruptis pustulis humore sanguinem fundant, ipsaque cutis ex iugi frictione, atque irritatione in erysipelaceum tumorem non raro attollatur. Frequentius vero opaco magis flavescente, crassiori tractu temporis facto, contento fluido vel sponte, vel per scal-

pturam disrumpuntur postulae, et nulla, vel vix ulla succedente suppuratione in exsiccationem terminantur. Interim exsiccatae ipsae pustulae alias in squamas nigrescentes, mox deciduas abeunt, maculis fusco-rubris in cute relictis; alias vero, quod maxime in confluentibus pustulis contingit, latae exurgunt crustae, subter quas nunc serum, saepe vero pus colligitur.

Hinc origo ulcerum, quae plus minus extenduntur prout vel discretae, vel confluentes sunt disruptae pustulae, et maior vel minor accesserit irritatio, quo fit ut interdum pene tota cutis erosa, exulcerata, et crustis defaedata tristi, et animam movente spectaculo conspiciatur: *humidam* hanc dixerunt scabiem, alii *magnam, puriformem*: alteram vero *siccam*, *simplicem*, *caninam*, *miliarem* quae pustularum arido habitu incedit. Neque ab una contagii scabiosi indole varia pustularum forma, incrementum, progressus, exulceratio, duratio, ac varia symptomatum intensitas, et effectuum varietas repetenda sunt; cutis siquidem varia sensibilitas, infecti aetas, constitutio sana, vel morbosa, varia ipsius adiuncta, caussae nonnullae fortuitae, nec non interdum ipsimet praepostera curatio non minimum adducunt discrimen.

IV.

Ubique corporis in partibus, quae contagio suscipiendo fuerunt expositae scabiei prima rudimenta breviori longiorive ab infectione intervallo manifestari possunt. Frequentius autem solet haec lues primum apparere in manuum digitis, eorumque interstitiis, in quibus pruriginosae, pellucidae insident pustulae adeo interdum minimae, ut aegre oculorum aciei perviae sint, ac

nonnisi lentis auxilio conspicuae. Verum brevi augescentes hinc ad manuum dorsum, circum carpum, ad flexuram cubiti, axillas extenduntur, hinc in extremitatibus inferioribus; inguina, nates, poplitem, tarsum, pedis dorsum occupant; et quamvis, ut animadvertit Frank, interdum extremitatibus contenta videatur scabies; haud tamen reliquis parcit partibus, facie excepta, et per collum, thoracem, abdomen, pudenda progressu nunc lento, nunc celeri late disseminatur. Observare non raro contingit disruptis pustulis solitariis, effusoque contento in istis humore brevi tempore consimiles alias pustulas progerminare manifesto exemplo facilitatis, qua scabiosum contagium propagatur, quodcumque demum hoc sit.

V.

Quemadmodum autem susceptum contagium nunc serius, nunc citius (§ ant.) evolvitur; ita nunc celeriori, nunc tardiori progressu non solum decurrit, modo levia, benigna, modo vehementia, maligna prodens symptomata, imo interdum aliis morbis, ac febribus locum concedit, et occultari videtur scabies, maiori saepe cum vehementia, his demum cessantibus, apparitura. Rursus vel brevi tempore remediis opportune adhibitis obsequitur, vel hisce neglectis, aut etiam irritis ita protrahitur, ut contumax praelongam habeat durationem. Consuevit etiam non raro per intervalla increscere, ac decrescere, quin tamen, ut nonnullorum apud vulgus invaluit, opinio, suam lunae phases conferre symbolam, adeo facile credendum sit. Atque hae quidem vicissitudines quamvis absque noxa contingere possint; pluribus tamen, iisque non raris

observationibus compertum est gravia ex retropulsa scabie sobolescere pathemata, unde complurium tum acutarum, tum chronicarum affectionum non semper discrimine carentium origo. Sane ex retropulsa scabie, sive ex accidentalibus caussis id eveniat; sive a praepostera curatione ominosae ad interiora metastases exortae memorantur; neque solum internas capitis, pectoris inflammationes scabiem retropulsam fuisse subsecuta, sed et rheumaticos, arthriticosque dolores, infarctus glandularum, ac viscerum, articulorum tumores, hydropes, cachexias, febres tum acutas, tum lentas, dispnaeam, asthma, tussim, phthisim, contabescentiam, convulsiones, epilepsiam, amaurosim, paralysim, apoplexiam; caetera inde producta videre est apud auctores.

Etsi tamen penes nonnullos habitualis facta scabies, et ita facile feratur, ut vix de eiusdem molestia conquerantur, et non ita frequentia, et gravia secum trahat discrimina, sicuti in illis animadvertere est regionibus, in quibus fere endemica vigere traditur. Quod non tantum ex adsuetudine, quantum ex obtusiori reddita, aut perversa cutis sensibilitate repetendum videtur.

VI.

Patet ex dictis scabiei divisio in *benignam*, et *malignam*; in *acutam*, et *chronicam*. Porro et solitariam incedere scabiem, et acutos morbos ipsi adiungi, et vicissim illis hanc superaccedere res est compertissima: item herpeti, scrophulis, scorbuto, syphilidi frequentissime sociata incedit non secus aliis bene multis chronicis aegritudinibus: hinc orta quoque ipsius non minimi momenti divisio in *simplicem*, et *complicatam*.

Hinc cur scabies herpetica, scrophulosa, scorbutica, syphilitica dicta sit; simplex enim morbum mere topicum, altera vitium locale morbo universali iunctum sistit.

VII.

Epidemico more scabiem saevire et proditum fuit, sicuti et nonnullis in regionibus endemice dominari traditur, ut in Hispaniae nonnullis provinciis, Gallitia, Asturiis, in aliquibus Poloniae, ac Sardiniae pagis, in regionibus ad litora maris sitis aliisque. Ab Hildanio, Riverio, Pringle in *spontaneam*, et *contagiosam* tributa scabies uti et *critica* habita. *Critica* vero *salutaris* dicta scabies, quum morbis cum eorumdem solutione, aut levamine supervenire observatum fuit, cuius quidem nonnulla apud illos Auctores memorantur exempla: rationi tamen consentaneum videtur arbitrari vesiculosas aut papulosas, vel pustulosas alias affines impetigines, ceu psydracia, eczema, lichen pro vera scabie illis imposuisse, eoque animum inclinamus ut credamus cum nuperioribus scabiem unam constanter esse contagiosam sui generis affectionem, quae ratione formae, gradus, complexuum sub diverso, pro adiunctorum varietate, se prodat aspectu, alios, atque alios tum in cute, tum in aliis partibus effectus producat, haud tamen semper ab unica scabiosi contagii directa actione repetendos.

VIII.

Etsi ubique locorum, quocumque anni tempore, et absque ullo constitutionis, aetatis, sexus, et adiunctorum discrimine scabies humanum genus inficere sit potis; ipsi tamen facilius suscipiendae favent calida

tempestas, iuvenilis aetas, sequior sexus, temperamentum lymphaticum, ac biliosum, cutis tenera, energica vasorum absorbentium actio, incolatus locorum sorditie scatentium, neglecta corporis munditíes. Hinc cur apud egenos pravo victu utentes, indumentorum penuria pressos adeo familiaris sit: non adeo facile, caeteris paribus, corripiat in contrariis adiunctis. Rarius senes, et provectiorem aetatem adoritur; iique minus activam experiuntur scabiem, et minus pruriginosam. Caeterum sicuti de aliis contagiis quandoque occurit, non desiderantur exempla hominum, qui quamvis immediato scabiosorum contactui expositi, scabiem tamen non contraxere. Demum observationibus constat, scabiem, quae non semel, sed iterum, iterumque per vitam homines corripit, illis pepercisse, qui in stabulis, atque inter aegros versabantur non secus ac latrinariis, et spirituum distillatoribus. Cur inter artifices, sartores, prae caeteris, scabiei obnoxios memorantur, haud facile dixeris, nisi quod frequentius infectas fortasse res tractent. Hinc ipsius artis exercitio exclusive perperam tribuitur haec, si revera observata fuit scabiei contrahendae facilitas, quod etiam dicendum de illis, qui lanifico indulgent operi, lanis scilicet depurgandis, texendis, aut quocumque dein modo versandis incumbunt; in his siquidem frequentiores etiam scabiem animadversam fuisse referunt auctores. Verbo non omnis cutis aequam habet praedispositionem ad suscipiendum scabiei contagium praeterquam quod huius actio a pluribus caussis obtundi, impediri, irrita reddi potest.

IX.

Itaque occasionalis scabiei caussa merito accusatur specificum contagium, cuius naturam inquirentibus passim legere est varii generis acrimonias inculpatas fuisse, maxime vero lymphae, atque perspirationis materiei depravationem, acredinem, tum varia alia humorum vitia, aut intus genita, aut extus admota, quibus cutis organo peculiari modo irritato, lacessito, scabiei originem, progressum, atque omnia dein pathemata explicare nitebantur, quibusque curationem aptandam esse docuerunt: sic vero genitum contagium in alios transire, ac diffundi tradiderunt. Hinc cur nunc sponte genita, nunc ab infectis in sanos per contactum, aut usu infectarum vestium communicata descripta sit scabies.

X.

Rem propius attigisse videbantur rerum naturalium scrutatores, qui scabiem ab insecto de acarorum familia subter cuticulam nidulante progigni, ac sustineri, a cuius transitu in sanam cutim communicari, ac propterea ab huiusmodi destructione scabiei curationem pendere arbitrati sunt, cuius quidem insectuli in scabiosis pustulis praesentia iam antea adumbrata, anno 1687 dilucidius proposita, eiusque figura tabulis delineata a Liburnense pharmacopola, rerumque naturalium studioso investigatore Hiacintho Cestoni, sicuti colligere est in epistolis ad clarissimos Redi, et Vallisnerium datis, quae recusae extant in primo volumine operum memorati Redi. *Acarus exulcerans, acarus scabiei, sarcoptes, acarus humanus* audit minimum hoc insectum, nonnisi lentis auxilio detegendum, quod notis nonnullis nuperiores observaverunt discriminari ab acaris ve-

teris casei, farinae, quorumdam lignorum, nec non ab acaris scabiosas brutorum pustulas inhabitantibus.

Porro Cestoni inventum paucis omnino arrisit, ita ut per sat lungum tempus oblivioni traditum fuerit, donec praeeunte Linnaeo, Fabricio, Morgagno, novis, accuratisque observationibus ita videbatur confirmatum, deinceps a Gales potissimum ita fuit pervulgatum, ut de scabiei acaris vix amplius auderent Recentiores dubitationem aliquam iniicere, hoc tamen discrimine ut sicuti quamplures in huiusmodi insectis unicam, atque exclusivam scabiei caussam quaerendam esse autumant, non desint contra, qui acaros tantummodo uti accessorios in scabiosis pustulis considerandos esse opinentur, utpote non raro haec animacula inquisitionem effugerint, neque in omnibus pustulis observare eadem contigerit. Interim hinc inde quamplurimae, neque prorsus contemnendae rationes, atque observationes in medium adductae sunt, quibus propriam, quam conceperant iuxta varium opinandi modum, tuerentur sententiam. Quae omnia cum prolixum minus, atque operosum esset singillatim, ac fusius persequi, sufficiat breviter, atque historice adumbrare, ut quid verosimilius sit, facilius elucescat. Qui scilicet ab acaris privative progigni, ac communicari scabiem opinantur, hi docent:

1.° Ideo contagiosam esse scabiem, quod acari ab uno in alium facillime transeant, brevi multiplicentur, tantoque facilius propagetur scabies, quo magis sorditie scatet cutis, in quam aptiorem veluti inveniunt habitaculum.

2.° Faciliori acarorum transmissioni, atque intrusioni patere teneram, ac mollem cutim, ideoque facilius sca-

biem contrahi ab illis, quibus talis est cutis habitus, quam in contrariis adiunctis.

3.º Ideo iugem non esse in scabie pruritum quod modo quiescant, ac torpida veluti sileant insecta, modo agiliora sint. Hinc cur calor horum activitatem excitans pruritum pariter adaugeat, contrarium eveniat a frigore, cur a rudiori frictione, a scalptu immanis reddatur, ac intolerabilis pruritus: irritata enim tunc animacula excutiuntur, in motum aguntur ut irritationis iniuriam effugiant.

XI.

Adversam tuentur sententiam alii, atque contendunt, acaros ceu pustularum scabiosarum parasitas quidem habendos esse, minime vero illarum caussam incusandam; diligentissimis enim observationibus, referente Rayer, Galeotti, Chiarugi, Lugol, Mouronval, Chevalier, Asselin, Henri, Petroz, Pelletier, Biet, aliique oculo etiam vitris achromaticis maxime amplificantibus instructo, institutis, numquam se videre potuisse acaros, fidenter affirmarunt: cum praeterea hactenus evictum pro certo haud sit, acaros in experimentis manibus superimpositos, unde genita scabies, omni caute exutos fuisse liquido, a quo educebantur: quum incipiente morbo, et per hyema scabiosis in pustulis acaros desiderari vel ipsi fateantur acarorum patroni: quum acarum in scabiei pustulis frustra saepe quaesiverint mox memorati seduli scrutatores; quum scabies retropulsa per ea revocetur praesidia, quae acaris enecandis apta traduntur; consequens est, scabiem a sui generis contagio potius produci, et acarum effectum esse, non caussam cum sanioribus verisimillimum autumamus.

XII.

Homines cuiusvis aetatis perpeti possunt scabiem; sed praesto sunt caussae, quae ad eam disponunt, praecipue quaedam integumentorum conditio, ut mollities, et laxitas epidermidis, et cutis. Quapropter infantes, iuvenes, et qui debili corporis constitutione donantur, scabiem facilius contrahunt. Aliae praedisponentes caussae sunt cutis immundities; humidae, depressae, sordidae habitationes; loca quo conveniunt pauperes, et infirmi; victus pravus, tenax, crudus; vita ignava; quaedam aëris qualitates, ut est humido-frigida. Sunt quidam homines tam ad scabiem proclives, ut ea saepe laborent, praesertim quibusdam anni temporibus, ut notavit Lorry. Alii contra scabiei sunt minus obnoxii, qui scilicet corporis munditiei student; qui sulphur, mercurium, et ut animadvertit P. Franchius, farinam, et equos tractant, et liquores spirituosos distillant: omnia enim haec removent infectionem.

XIII.

Praesagium scabiei a symptomatum gravitate, ab eius varietate, a tempore, quo ea affligit, praecipue desumendum est. Inquit Kleinius « Gravior est scabies, « quae magis cutem exasperat, prurit magis, plures nu« mero obsidet partes, somnumque potius aufert ». Dum scabies est simplex, et recens si recte et mature curetur, periculo vacat. Quamvis vero haec sola corporis munditie, apta diaeta, et aliqua unctione ex unguento sulphurato intra paucos dies utplurimum superetur, numquam est negligenda. Persaepe scabies incipiens lente procedit; alias prompte diffunditur, gravia evadunt sym-

ptomata, et expedite pustulae abeunt in ulcera. Raro scabies sponte diffugit, sed raro curationi non cedit. Quae dicitur humida, sicca levior est; sed haec facilius curatur. Ferina autem maxime rebellis est. Etiam nimis diuturna scabies aegre persanatur. Interdum aliquo adventante morbo scabies evanescit, saltem ad tempus. Saepissime scabies diuturna evadit, praesertim in senibus, pauperibus, immundis hominibus, et in sordidis locis degentibus, ubi aegre prorsus extinguitur morbi fomes. Dum autem inveterascit, nullo negotio subit interiora. Maximum vero imminet periculum, si retrocedat, aut praepostero remediorum usu repellatur, et reprimatur scabies; cum saepe morbi gravissimi, et lethales consequantur, ut tusses, dolores pectoris, dyspnea, asthma, dyspepsia, viscorum inflammationes, tumores glandularum, vitia cordis, dolores osteocopi, amaurosis, febres, cachexia, aedema, hydrops, affectiones spasmodicae, mictus, cruentus, apoplexiae, insaniae etc. Alea etiam plena est scabies cum aliis morbis, ut lue venerea, scorbuto, scrophulis, arthritica, aut rheumatica labe, complicata. Tum enim difficilis est curatio, et saepe contingunt retrocessus et facile in helcoses scabiosas, herpeticas vel in ipsam maciem, ac febrem lentam abit.

XIV.

Ad curandam scabiem externa plurima non modo sed et interna remedia commendantur. Munus vero medicorum est opportuna seligere, secus curatio empirica foret, sicuti illa veterum, qui semper aut fortiora purgantia, aut sanguinis missiones, aut alia praescribebant. Ut igitur recta instituatur curatio, inprimis distinguendum est an scabies sit recens, vel inveterata, simplex, vel

complicata. Recenti, et simplici scabiei pauca et externa remedia sufficiunt tempestive adhibita. Mundities praeprimis servanda, sordes lotionibus potissimum in diem iteratis ex decoctis nicotianae, lapathi acuti, cicutae, ledi palustris eluendae.

Multiplicia vero praesidia ad scabiem curandam celebrata, sed inter omnia sulphur, utpote magis insons, et mercurius, eminent. Vario modo pro usu externo adhibetur sulphur, sed praecipue sub forma unguenti simplicis aut rosati vel compositi additis sapone, hydrochlorate ammoniacae, potassae carbonate, essentialibus oleis, sulphuretis. Quotidie autem ad digitorum interstitia, carpos, aliasque partes vespere, illinire praestat, priusquam aeger lectum petat. Saepe post paucos illitus consanescit scabies, qui tamen pergendi quousque scabiosa eruptio supersit. Huic unguento adiungi solent irritantia, et exsiccantia, ut salia, calx, oxida metallica, caustica vegetabilia, quae saepe gravem irritationem pariunt. Adhibentur etiam balnea vaporum sulphuris vel balnea thermalia, sulphurea naturalia vel factitia quae parantur solutis in aqua aequis dosibus sulphuretis variis. Qui a sulphure refugiunt aut ipsum aegre ferunt, mercurium pro externo usu sub varia forma usurpant, scilicet vel sulphureti vel unguenti forma aut salis in aqua soluti. Hinc illitio fit ad indicata loca aut unguento albo, vel citrino vel aethiope minerali, cinnabari, oleo aut unguento mixtis semel, aut bis in die vel ablutio fit deutochlorureto rite soluto vel deutohyposulphate hydrargyri vel phagedaenica sic dicta aqua, quae ex scrupulo deutochlorureti hydrargyri in libra aquae calcis soluti, constat. Prius vero quam sul-

phurea praeparata aut hydrargyri externo usu usurpentur, lotiones, et balnea frequenter ad sorditiem removendam suscipere expedit. Praeterea alia sunt, quae loco sulphuris, aut mercurii extus adhibentur, ut unguenta ex axungia et acido sulphurico, vel nitrico, ex radice ellebori albi, clematitis vitalbae vel plumbaginis oleo incoctis, decocta radicis hellebori albi, seminum delphinii staphysagriae, succus herbae nicotianae tabaci, etc. Haec quidem utilia esse posse observationes evincunt, sed saepe prae nimia irritatione gravia inferre pathemata quandoque valent. Celebratissimum autem adversus scabiem est unguentum Iasseri, quod ex aequis partibus sulphatis zinci, florum sulphuris, baccarum lauri, oleo mixtis exurgit. In universum autem tepentia balnea in ipso scabiei initio, sed potissimum dum ea latius serpit, admodum utilia: haec enim tegumenta molliunt, molestumque pruritum compescunt: sub horum vero usu eruptio quidem uberior fit quae mox cito evanescit: inter balnea etiam illa maris iure optimo laudantur. Aliquando dum aeger est plethoricus, laeditur respiratio, accenditur febris, vena inter initia secanda est; sed caute hoc fiat, ne introrsum convertatur eruptio. Subinde vasa cutis aut hirudinibus, aut cucurbitules scarificatis deplere satis est. Ubi affectae partes maxime dolent, et distenduntur, cataplasmata emollientia iuvant.

XV.

Utlibet simplici, et incipienti scabiei abigendae externa remedia utplurimum paria sint; in complicata tamen potissimum scabie interna haud esse praetermittenda praesidia, ratio suadet. Cum autem ob memoratas superius

causas phlebotomia indicatur, reliqua item antiphlogistica consocianda auxilia: inprimis ideo lenia cathartica ceu cassia, tamarindorum aut prunorum pulpa, cremor tartari, manna, salia neutra, rhabarbarum, etc.; deinde potiones diluentes, refrigerantes, serum lactis expediunt. Sub autem balneorum usu prosunt quae perspirationi favent, veluti diaphoretica decocta arctii lappae, ulmi, solani dulcamarae, aquae sulphureae, antimonialia, flores sulphuris, similia. Sulphur interius propinatus valdopere prodest, potissimum cum huic ipsi remedio extrinsecus adhibito refragatur scabies. Semper autem curationis tempore aeger studiose perspirationi consulat; corporis, et vestium servet munditiem; cibo modico, digestuque facili utatur, et omnia irritantia sedulus declinet hac absoluta indusia quaequae naviter expurget: repressa scabies aptis evocanda praesidiis.

DE PSYDRACIA AC STROPHULO

I.

Chronica frequentius indole, perinde ac pustularum forma scabiei valde similis, ac diu cum ipsa confusa, eruptio cutanea *psydracia* est, acne ab Aetio, *mentagrae* a Plinio, modo scabiei nunc *psoriasis* nominibus a Lorry, P. Frank et Swediaur descripta, *dartre pustuleuse* gallice nuncupata, ita a graeca voce *psydracia* dicta, quae pustulam sibi vult. Ex hac *pruriginem formicantem, Ecthima, Rupiam* duxit Bateman; Rupiam dixit quoque Rayer. A graeco *Rhypos*, sordes. Psydraciam autem constituunt tubercula, vel pustulae solitariae, durae, magis ad basim, quam ad apicem rubrae, prurientes, ut plurimum evanescentes, raro suppurantes. Modo habetur a Galeno ut affectio vesicularis, in apice rubra, nullum humorem effundens, et evanescens; modo ut vesicularis, et phlyctaenoides. Etsi ex recentioribus plures psydraciam habeant ceu affectionem psorae valde similem; plurimis tamen ab eadem distat notis: Psydracia enim in facie, labiis, mento, pectore, brachiis, scroto, praeputio aliisque partibus exilire solet, aut sub forma tuberculorum rubentium, prurientium, evanescentium in apice interdum suppurantium, et in crustas squamosas abeuntium; aut sub forma pustularum psorae quidem similium, at raro prurientium: saepe eruptio psydraciae fugax est, eiusque

tubercula, aut pustulae ad extensionem pollicis cito perveniunt, et dum aliae recedunt, aliae redeunt. Quandoque psydracia periodice recurrit, modo localis est, modo diffusa.

II.

Iuvenilis aetas, temperamentum sanguineo-biliosum, plethoricus habitus, firma constitutio, verna tempestas, praevalida corporis exercitia psydraciae potissimum favent. Prophasim autem ipsi praebent variae artes manuariae, maxime sarcinatoris, textoris, mansio in fodinis metallicis, immundities, usus pharmacorum cutim topice irritantium, ceu unguentorum ad psoram aliosque morbos curandos, veluti illud Authenrieths, thermalia balnea, plethora, ardentium aquarum abusus, vita sedentaria, ac verendarum partium orgasmus, vigiliae, primarum viarum vitia, periodus catamenialis, nimia venus, lues venerea, scorbutica, scrophulosa labes, febres, aliique morbi praegressi, ipsaque vaccinuratio.

III.

Spectatis vero cum caussarum proëgumenarum, nec non procatharticarum quibus psydracia, fovetur, ac inducitur, ingenio, tum pathematum quae ipsam stipant, indole, pronum erit inferre coniunctam ipsius caussam in peculiari glandularum cutanearum phlogosi fore collocandam.

IV.

Multiplices traduntur psydraciae partitiones a remotis potissimum caussis petitae. Potior tamen, simplicior, ac curationi aptior ea est quae in primariam, symptomaticam ipsam disterminat, cui *criticam* addendam fore accuratae observationes ostendunt.

V.

Pro varia autem caussarum indole cum primariam tum symptomaticam psydraciam variam saepe induere formam, et plurimam phaenomenorum quae ipsam stipant, varietatem offerre nullo non tempore adnotarunt cordati pathologi; enimvero verno potissimum tempore in aetate florentibus, robustis, biliosis post calidorum balneorum usum nimiamque corporis exercitationem, primaria soboritur psydracia, cuius efflorescentiae, solitariae, rubrae, copiosae sunt, pollicis interdum extensionem attingentes, quae in pectore, brachiis, aliisque partibus comparent, et diffugiunt. Quae varietas a Sauvagesio sub nomine *psydraciae porcellanae* describitur, ab Avicenna vocatur *rosa saltans*, quod forsan subito appareat, ac protinus evanescat. Psydracia ab immunditie, et a caussis quae perspirationem cohibent oborta in diversis corporis partibus ab exiguis tuberculis prurientibus constituitur, ut illa est, qua laborant ad manus sarcinatores, textores qui tractant vestes laneas oleo sordidas, qui in fodinis metallicis operam faciunt; quae ab usu thermarum, ut plurimum sub forma tuberculorum se se offert: quae a plethora, castimonia, sedentaria vita, neogamia, liquoribus spirituosis, modo formam tuberculorum, modo illam pustularum refert: quae a topicis externis irritantibus oboritur efflorescentiis rubris, erysipelaceis, prurientibus notatur, in suppuratum etiam abeuntibus, cuiusmodi illa quae sauciae cuti novaculae ope aliove propagatur insitionis ferme modo. Psydracia, quam *vaccinam* dixit I. Frank tertia hebdomada, vel serius quoque peracta insitione sub forma vesicularum solitariarum nulli cutis loco parentium in conspectum venit: vesiculae

materie puriformi repletae halone rubro duas, tresque lineas lato, elevato, compacto, et duriusculo circumdantur, ac disruptae vel in crustam, vel in excoriationem desinunt, ac a varicella quam mentitur, febris absentia, et praegressa vaccina distinguitur.

VI.

Psydracia symptomatica ut plurimum gastricae, biliosae, cachochiliae, acidorum, vermium, hypocondriacae affectionis, venereae, scorbuticae, scrophulosae, rheumaticae labis soboles est. Hac autem psydraciae species symptomatibus harum affectionum propriis stipantur, et saepe naturam induunt primarii morbi a quo ortum duxere. Psydracia venerea occupat faciem, et praecipue frontem, interdum prurit, et potius noctu dolet: eius pustulae circumdantur halone violaceo, aut eius tubercula foedum aspectum praeseferunt: scorbutica plerumque prurit, et cingitur ecchymomatibus.

VII.

Expedit quoque animadvertere psydracias symptomaticas specie tenus ac visu psoram mentientes, cum ipsa haud raro neque sine noxa fuisse confusas. Etiam psydracia critica, quae versus finem febrium, aliorumque morborum acutorum, aut in decursu alicuius chronici morbi apparet, a plerisque ut critica psora fuit iudicata.

VIII.

Ex descriptis psydraciae characteribus haud aegre haec ab aliis morbis cum quibus maximam alit adfinitatem potest internosci, sicuti strophulus, hydroa, urticaria, tuberosa scabies: Revera strophulus est affectio papularis; psydracia tuberculosa, vel pustulosa: hydroa continetur

vesiculis, ut plurimum granis milii similibus, brevi in squamas, aut furfurem abeuntibus; psydracia pustulis pollicaribus persaepe evanescentibus: urticaria tuberosa distinguitur a tuberculis maxime prurientibus, irregularibus, in centro pallido rubris; psydracia tuberculosa tuberculis rubris, aliquantisper prurientibus, regularibus: scabies occupat praecipue interstitia digitorum, affert pruritum saepe immanem, qui lecti calore augetur, expedite communicatur; psydracia saepe occupat faciem, et non raro alias corporis partes, non semper adducit pruritum, qui numquam est tam vehemens, vixque lecti calore increscit, nec propagatur. Difficile vero est psydraciam a scabie distinguere, si cum hac complicetur. Frequenter haec complicatio accidit, cum per consueta unguenta curatur scabies. Tum enim ab unguentorum irritatione nascitur psydracia tuberculis composita exiguis, prurientibus, quae ab incipientis scabiei pustulis vix discriminantur. Eiusmodi vero psydracia valde fugax est, et cito semotis caussis desinit.

IX.

Nunquam psydracia primaria discrimen affert, modo externis remediis praepostere haud curetur, et repellatur. Tubercula, aut pustulae psydraciae saepius aufugiunt, interdum suppurant, cum aliqua externa accedit irritatio. Si negligatur morbus, aut inopportunis remediis augeatur irritatio, in graviorem impetiginem, ut in herpetem nonnumquam abit. Non solum autem psydracia periculo expers est, sed etiam morbus est facile abigendus, si caussam liceat removere, quemadmodum illa quae a plethora, balneis calidis, nimia corporis exercitatione, immunditie promanat. Psydracia ex fomite gastrico,

non secus ac critica sponte, at saepe non sine stigmate violaceo, rubro evanescunt, ac facile redeunt.

X.

Psydracia symptomatica primarii morbi sequitur fata. Interdum sponte, aut levibus auxiliis diffugit, ut est illa gastrica, et verminosa. Si vero symptomaticae psydraciae haud occurratur praesidiis quae morbo primario obsistunt, et inconsulto externis auxiliis repente reprimatur, alea plena fit, et gravissima saepe mala consequi possunt, sicuti de syphilitica, scorbutica, scrophulosa psydracia obtingit. Psydracia vaccina in universum levem constituit morbum; ubi vero scrophulosa labes una vexet, facile de hac participat, et magis ominosa spectatur.

XI.

Ut psydraciae primariae instituatur medela, ipsius caussarum habenda maxime ratio. Igitur si a plethora pendeat, regimen antiphlogisticum, diaeta tenuis, refrigerans, et interdum etiam sanguinis missio expedit. Psydracia thermalis balneorum intermissione ac sedula refrigerii fuga sanatur; quae a corporis poedore exoritur, abstergentia exposcit; si a perspiratione retenta dimanet, tepentia balnea quae integumenta emolliant, cutaneum halitum promovent, nec non lenia diapnoica, aut diaphoretica indicantur, rarius tonica prae torpente cutis actione, conducunt. Psydracia primaria, quae saepe recurrit, et habitualis facta sit, praeter balnea tepida, temperantia, diluentia, alia quoque antiphlogistica subsidia externa, ac interna efflagitat, atque quandoque in contumaci affectu factitiis emunctoriis est opus. Psydraciae vero symptomaticae praesidiis, quae in primarium morbum aptiora iudicantur occurritur, hinc in gastrica

psydracia pro re nata lenia cathartica, absorbentia, et anthelmintica conducunt. Reliquae universalem curationem, labi, ex qua pendent accomodatam, expostulant.

XII.

Ceu psydraciae varietas habenda papulo pustulosa cutis affectio *Strophulus* a *strophao, verto* dicta, quae lactentes pusiones potissimum annuos, aut etiam biennes, vel triennes dentitionis tempore adoritur. Ab Arabibus *Bothor* infantum nuncupata, a P. Frank *infantilis Psydracia* salutatur: distinguitur a papulis modo rubris, modo albis, quae plerumque in facie, ac artubus thoracicis, alias in universa corporis superficie comparent. Subinde papulae immiscentur punctis, aut maculis rubris, alias pustulis, ut in aliis papulosis affectionibus usuvenit.

Perperam a Willan quinque recensentur strophuli varietates, nimirum *intertinctus*, *albidus*, *confertus*, *volaticus*, *candidus*, quarum plures utpote a fortuitis adiunctis petitae, nullis privis stipantur notis. Quapropter simplicior, ac curationi aptior censetur strophuli divisio in primarium, symptomaticum, secundarium, quibus et criticus additur.

XIII.

Strophulus nullo negotio cum morbillis, cum erythemate intertrigine, cum eczemate, affinibusque morbis confundi potest; symptomata autem coryzae morbillos satis a strophulo distinguunt, strophulus praeterea etiamsi interdum febrilis, post aliquot tantum hebdomadas finem habet. Cum strophulus papulas ubique sparsas, erythema intertrigo autem ruborem aequalem inter cutis plicas sedem figentem referat, haud ardua erit distinctio. Idem rubor aequaliter diffusus cum epidermidis secessu

erythema recens natorum liquido a strophulo disterminat.

XIV.

Strophulus periculo ferme vacat sive primarius sit, aut symptomaticus. Modo brevi cessat, modo ad plures etiam menses protrahitur varia sub forma. Qui a pravo lacte, aut nutrice promanat, hisce mutatis, cito evanescit: qui a dentitione est, hac absoluta, abit: strophuli retrocessui favent frigidus aër, balnea frigida, quem viscerum phlogoses vomitus, diarrhaea, tormina, tabescentia consequi solent.

XV.

Strophulus benignissimus vegetosque adoriens pueros, naturae committendus. In universum autem curatio caussis dirigenda, et aequae temperiei ratio maxime habenda; si ab acidis primarum viarum sit, absorbentia conducunt; si a gastricis sordibus praesente maxime febre, et alvo obstipa, cathartica milia conferunt. In strophulo inveterato diluentia, temperantia infusa, ceu violae tricoloris laudantur, uti valde quoque prosunt tepentes lotiones, balnea, quae cutis munditiem servant, et insensilem cutis halitum promovent: sollicite semper utpote nocuum, declinandum frigus est.

DE CRUSTOSIS IMPETIGINIBUS

AC SPECIATIM DE CRUSTA LACTEA AC TINEA

I.

Herpeti affines crustosae impetigines sunt, quae caput, faciem nec non alias cutaneae superficiei regiones parum extensae vel latae obsident. Harum notatu dignas differentias sub *Tineae* barbaro quidem nomine, quod phalenae tineae more rudi quidem similitudine, capitis potissimum cutim perfodiant, sed iamdiu recepto, potius quam haud satis accurata *porriginis* voce a nuperioribus WILLAN, ALIBERT, BIETT invecta, expendemus.

II.

Tinea morbus est a primis incunabulis ad septimum aetatis annum persaepe erumpens, aliquando ephebos, raro adultos senesque afficiens: eum constituunt ulcuscula prurientia modo vesiculis humorem fundentibus quam *humidam* dixere *tineam*, modo crustis in coagulum fere melleum properantibus, quam *siccam* vocant, nunc granosis ac mollibus, nunc duris et cinerei coloris quibus dum in capillitio sedem obtinent *Tineae capitis* nomen inditum, cuius plures distinctas species a

forma ferme tantum deductas ceu *tinea favosa*, *granulata*, *furfuracea*, *mucosa*, *asbestina* vel *amianthacea* immerito recensent Rayer et Alibert; satius ad binas tantum species *favosam* nempe ac *scutulatam* porriginem contrahit Biett.

III.

Dum ubera sugunt infantes crustosa affici impetigine in facie, fronte ad aures non raro accidit, ubi primum maculae calentes, splendide rubentes, dein vesiculae flavae erumpunt, quibus dehiscentibus ichor effluens in friabiles flavo-luteas crustas abit: hanc *lactumen*, *tineam lacteam*, *crustam lacteam*, vernacula voce Rufa, dicunt.

IV.

Capillatae partis affectio tenuissimis foraminibus cutis perforans unde glutinosus humor melliformis, faetens *achor* sive multiforum ulcus a Graecis, appellabatur; *favus* autem vocabatur similis fere achoribus morbus in quo maiora quam in illo foramina apum favis similia apparent; hunc autem *tineam favosam* vocavit Alibert, *porriginem scutulatam* Willan quam per universum quandoque corporis habitum leprae in modum serpere observatum fuit potissimum ea vitae periodo quae scrophularum evolutioni favet.

V.

Cum in prima aetate magna sit capitis ad caeteras partes proportio, et organa sensuum dum primas impressiones accipiunt a stimulis quibus inassueta sunt, facile irritentur, hinc fit ut ab humoribus ad supremam trunci partem affluentibus vasculosa infantum cutis facile perfundatur ac crustosis impetiginibus faedetur; hoc maxime contingit dentitionis tempore pusionibus

quibus lymphaticus, vel floridus nimis cutis habitus est aut parum perspirabilis cutis potissimum cum ex prava nutritione exuberat vel peccat humorum crasis, aut ob gastricum consensum irritata est facies.

VI.

Sordes, phtyriasis tineae capitis varias species et achores producere valent: has contagiose contrahi ex infecto pectine aut penuicillo cum ulcera in capillitio iam adsunt, experientia docuit: scrophulosa potissimum ac syphilitica labes crustosis impetiginibus in primo vitae periodo potissimum favent. A peculiari praeterea morboso gentilitio principio illas quandoque promanare censent nonnulli: ex his facile eruitur modo idiopathicam, modo symphaticam aut symptomaticam esse tineam, quibus et *criticam* addunt nonnulli, atque retropelli et metastasis more a capite ad alias transvehi partes, non sine noxa ac discrimine, posse.

VII.

Infirmus corporis habitus, glandularum lymphaticarum iugularium infarctus, pruritus, harum impetiginum, modo locales haud sint, eruptionem praeire solent, nonnumquam cutis abscessus et vel in ipsis proximus glandulis consequuntur; vigiliae, inquietudines protractae, succi nutritii ex ulceribus iactura debilitatem, maciem ac tabem inducunt.

VIII.

Lactumen seu *crusta lactea, tinea lactea, muciflua, porrigo larvalis* aliis dicta ad pustulosas a nonnullis ad squamosas ab aliis relata impetigo est, quae ab ortu ad duodecimum usque aetatis annum evolvitur et infantibus potissimum infensa est dentitione laborantibus, facie

lactea, pingui atque tenero cutis contextu donatis aut a parentibus strumosis genitis: mentum infestat atque integram quandoque faciem, haud parcit fonti, auribus et palpebris, nonnunquam vero more tineae ad capillis obsitas regiones protenditur: sub huius eruptione plerumque vegetiores adparent infantes, sed ipsa progrediente molestissimo pruritu vexantur, tensione atque dolore partis, pustulis facies praesertim foedatur, febris interdum proritatur ex quae fiunt irrequieti infantes, anorexia laborant, et marcescunt. Impetigo haec quandoque renascitur eiusque recursus exempla prostant: sub nova autem eius eruptione urinae peculiarem odorem redolent lotio felis persimilem. Quadraginta utplurimum dierum spatio suum absolvit curriculum, alias serius protelatur.

IX.

Crustae lacteae therapeia in caussis primum procatharticis quibusque removendis atque in pathematibus ac cutanea irritatione compescendis, tota versatur. Mundities primas sibi vindicat, sordesque sedulo prorsus, ac iterato abstergendae, ac ulcera mundanda; ab exsiccantibus vero a quibus ominosae interdum consequuntur metastases, studiose cavendum. Pruritus et dolor qui saepe crustam lacteam comitantur et vigilias, irrequiem, maciem adducunt, lotionibus ac fotubus ex malvae, lactucae, altheae decoctis, lacte, nec non oleis dulcibus, cremore lactis, vel unguento rosato, simplici illitis, compescenda, quae si fuerint valde intensa ac phlogosis comitetur, admotis nonnullis hirudinibus vel in adultioribus etiam aliqua phlebotomia generali apposite retundenda: crustae dum exsiccantur emolliendae

sunt vel modo indicatis lotionibus, vel cremore lactis vel illo nutricis ut autem crustae serventur humidae folia betae, lactucae, malvae frequenter applicanda. Si autem infans obstipa alvo laboret aut sordibus obsideatur, lenia conducent antiphlogistica cathartica etiam pro re nata iterata, quibus molestus stimulus a capite subducitur ac irritatio cutanea compescitur: quandoque sola lactis qualitate mutata cito evanescit: una autem victus temperans, diluens, demulcens exhibendus. Plura interna remedia in crusta lactea praesertim serpiginosa laudibus extolluntur cuiusmodi sunt sulphur, guaiacum, salsaparilla, amarae stirpes, hydrargyri et stibii nonnulla praeparata, potissimum si a scrophulosa labe foveatur. Ceu crusteae lacteae absolutorium praedicat Strak violae tricoloris herbam aqua vel lacte incoctam, pulveris aut electuarii forma diu propinandam; cuius efficacia paucis hucusque fuit confirmata observationibus: nuperi in contumaci lactea crusta tepida balnea, sulphurea stillicidiia, lotiones sulphureo-alcalinas saepius de die iteratas, illitiones unguento simplici vel zinci aut etiam hydrargyri additis oxidis mitioribus aut sulphuris ioduréto peractas, commendant. Ubi vero lactea crusta repente repellatur omni adlaborandum ope ut sollicite revocetur epispasticis, rubefacientibus pro re nata admotis.

X.

Tinea capitis *rasca* vernacula voce dicta ab indole in benignam ac malignam dispertitur; tineam capitis benigam praecedit pruritus, rubor, tumor; interdum porrigo, colli glandularum tumores, dolores: hinc acuto pruritu pustulae inter capillos erumpunt quae paul-

latim volumine et numero crescunt humorem album, flavescentem foetidum continentes, qui dum diffunditur aëris contactu densatur crustasque efficit subalbas, sub quibus secernitur ichorosus humor unde ulcera, cutim, capillorum bulbos et cellularem textum rodentia producuntur tumque persaepe germinat pediculorum proventus. Subinde tinea ultra capillitium ad frontem, tempora, cilia, axillas, lumbos extenditur.

Maligna autem capitis tinea stipatur gravissimis et periculosis symptomatibus: in hac pustulae abeunt in ulcera ex quibus profunditur foetidissimus ichor quaeque crustis horridis et durissimis teguntur: haec autem tinea non solum capillorum bulbos et textum cellularem, sed etiam pericranium ipsasque afficit ossa, quorum minatur cariem.

XI.

Supervacaneum ducimus fusius tineae varias species a Willan, Alibert recensitas persequi, quae cum constantibus haud stipentur notis atque ab externa forma saepius mutabili petantur, potius quam ex penitiori morboso processu, has ad tineam siccam aut humidam auctorum referendas, censemus.

XII.

Tinea benigna discrimine utplurimum caret; contra maligna ominosa tinea: humida contumacior quam sicca: a retropulsa vel praepostere curata tinea asthmata, anginas, hydropes, viscerum glandularum mesentericarum infarctus, caecitatem ac tabem promanasse, accuratae observationes ostenderunt.

XIII.

Numero vix finita a therapeutis proposita nullo non

tempore fuere medica praesidia ad faedum ac contumacem tineae morbum sanandum inter quae empyrica plura, sontica ac noxia alia. Rationalem autem tineae therapeiam suscepturo, hanc a remotis non modo sed potissimum coniunctis ex causis esse auspicandam eiusque variis complexibus et ingenio aptandam, liquido ex traditis elucescit. Illud autem praecipue tenendum externis vix unquam unis fidendum auxiliis in tineae maxime diuturnae curatione, sed apposita una simul consocianda interna remedia cum Alibert arbitramur.

XIV.

Generatim victus moderatus, corporis exercitium, summa partis mundities, pilorum derasio praeparatoriam tineae medelam constituunt. Vigente plethorica aegri constitutione et vehementi partis capillatae capitis irritatione, praeter balnea et lenia cathartica, prosunt hirudines retro aures applicitae, et quandoque sub intensiori pruritu ipsa generalis phlebotomia: crustae vero tineae topicis emollientibus cataplasmatibus, mucilagineis primum emolliendae, mox ulcera solutionibus saponaceis eluenda, ac decoctis mucilagineis vel unguentis temperantibus, subinde carbonis vegetalis pulvis vel litanthracis subtilissimus, magnesii nigri peroxidum, calcis chlorureta, aqua calcis, sulphureta aqua soluta, sulphur oleo solutum, acidum hydro-cianicum dilutum nec non hydrargyri ipsa unguenta varia et postremo sulphuris ioduretum adipe nuptum a Biett auspicato usurpatum, conferunt.

Tutiorem ac actuosiorem magis tineae capitis curationem per unam capillorum avulsionem calanticae piceae ope vel volsellae institutam censuere superiorum

aevorum therapeutae ferme omnes, pilos crustarum decidentiae ac remediorum penetrationi officere, rati. Diram autem atque vere exosam hanc methodum ad Archagati tempora amandandam atque a rationali medicina exulandam cum sanioribus reputamus.

XV.

Inter actuosiora praesidia tineae sanandae apta potassae sulphuretum magnis effert laudibus Alibert, quo etiam auspicato tineam abegisse refert Wylie, cuius methodus a Frank relata haec est: 1.° radendi capilli sunt, 2.° caput tepente solutione saponacea eluendum; 3.° tinea faedatae partes adipe primum suillo illitae, eadem saponacea solutione tepida saepius abluantur; 4.° dein frictio fiat hisce: R. hidrosulphureti potassae drachmas duas solve in aquae calcis unciis decem. R. unguenti nitratis hydrargyri q. s. quotidie assidue eodem inungendum; praeter hoc unguento picis aridae cum sulphuris floribus mane et vespere; 5.° interne decoctum specierum propinentur guaiaci compositarum et pillulae Plumeri; sique hisce omnibus reluctetur auxiliis tinea, cauteria, vesicantia, purgantia, antimonialia haud sunt praetermittenda, eaque omnia quae variis occurrunt dyscrasiis.

DE NONNULLIS ALIIS IMPETIGINIBUS

SQUAMOSIS, CRUSTOSIS, ANOMALIS.

I.

Ad squamosas aeque ad crustosas impetigines referunt pathologi praecipue *pytiriasim*, *psoriasim*, *lepram*, *ichtyosim*, de quibus perfunctorie, ac summatim dicemus.

II.

Est autem *pytiriasis* sic dicta a graeco *pityron*, crusta, furfur, *porrigo* aliis, cutis excoriatio in minimas squamas furfuraceas capitis parti praecipue capillatae infensa. Dividitur ipsa in siccam, et humidam, localem, et universalem.

III.

Oritur plerumque post perpessum capitis erysipelas, quod haud raro statum chronicae phlogoseos inducit ad corium ex quo epidermis secedens decidit, ac nova regeneratur. Hanc autem inducunt irritationes omnes mechanicae, vel chemicae, neglecta mundities, abusus cosmeticorum, pulveris cypriae, insolatio, insectorum irritatio, praepedita perspiratio, gastrica cachochilia. Therapeia causis potissimum aptanda.

Oliter hic advertere expedit haud satis apposite ad porriginem Willan, Biett, Alibert tineam referre, neque firmiori fundamento erythemati endemico pellagram accensere Alibert; prior quippe cum forma ac sede a porrigine; altera morboso processu ac diathesi ab erythemate, longo secernuntur tractu.

IV.

Psoriasis nomine a Frank I. donatur cutis vitium sub forma punctulorum, excoriationum, et crustarum praecipue quidem ad regionem pubis, sub axillis et supercilia, sed ad reliquum quoque corpus obveniens, pruriens, et communicabile, cuius causam pubis pediculum culpandum censet. Recens, et partialis facile abigitur, inveterata, et universalis interdum rebellis.

V.

Therapeia balneis tepentibus, saponis aquea solutione partes abluendo, vel infusi nicotianae tabaci foliorum lotionibus vel unguenti hydrargyri illitu continetur.

VI.

Faeda si quae alia impetigo *lepra* est, a lepros, scaber, cuius vestigia in ipsis iam Moysis libris inveniuntur.

Leprae autem nomine designamus atrocissimum impetiginis genus in cute se prodiens mox sub forma furfuris, alias squamarum, et mox cum ulceribus crustosis, orbiculatis, pertinacibus, aut demum tuberculosis, nodosis faciem praeprimis hinc, manus, et pedes corripiens cum insigni pruritu, asperitate, livore, cuius tria generatim stadia distinguuntur teterrimis stipatu pathematibus.

VII.

Praecipuae a pathologis leprae varietates recensentur:

1.ª Lepra Araborum *elephantiasis*, lepra *leontica*, morbus *heracleus* dicta, quae stipatur tuberculis ita cutim temerantibus, ut inter ipsam, ac elephantinam pellem homonomiam inducant.

2.ª *Lepra alba* hebreorum maculis rotundis, ac depressis, ac albescentibus prodiens.

3.ª *Lepra thyria* in qua cutis furfure, et squamis cooperitur.

4.ª Lepra *alopecia*, aut rubra, *rosa asturiensis*, quae a gutta rosacea exorditur.

De harum autem aethiologia non secus ac therapeia vix vacat dicere cum faventibus superis in summum hominum bonum, haec vere turpis impetigo iamdiu penes nos fuerit plane extincta.

Leprae species Norvegiae, Islandiae, Groënlandiae, Lapponiae, Scandinavis familiaris *radesyge* vernaculo idiomate dicitur *lepra borealis* ab aliis, a Swediaur *lepra Norvegica* appellatur. Exorditur doloribus rheumaticis, ac symptomatibus catharralibus, gravedine, cephalalgia, epiphora, dysphagia, tonsillarum, uvulae, palati tumoribus: ad nasum et genas maculae comparent rubrae ad plures menses persistentes; denique impetigines efflorescunt herpetem referentes cum epidermidis furfuracea desquamatione. Prodeunt etiam praesertim in facie maculae fuscae quae abeunt in ulcera sordida quae fauces, oris cavum, nasum lacessunt sensimque exedunt. Hanc autem nihil aliud quam leprae cum scorbuto complexum esse cum caussae, tum therapeia auspicato in usum ducta, ostendere videntur.

VIII.

Ichtyosis, seu morbus piscium videtur esse intensior gradus pityriasis, vel psoriasis, et minor leprae, cuius caracter consistit in cute dura, aspera interdum fere cornea, quae nunc squamas, nunc excrescentias fere cartilagineas absque excoriatione, et maculis refert.

IX.

Tuberculosam, ac contagiosam impetiginem constituit *thymiosis* a graeca voce thimion (tuberculum carnosum) excrescentiis fungosis in cutis superficie stipatam, cuius binae varietates distinguuntur nimirum *affricana* yaw sive *thymiosis guineensis* aliis *sycosis* dicta, Guineae adolescentibus maxime familiaris quae semel tantum corripit; *americana* altera *Pian* vocata, sive thymiosis americana etiam contagiosa ramosis excrescentiis notata.

X.

Ad impetigines referendae quoque *entomioses*, sive cutanei morbi a nidulatione insectorum cutim defoedantium manantes, quibus *phthiriasis*, *psiliasis*, *splechiasis* accensanda.

XI.

Phtihriasis seu morbus pedicularis partes corporis pilis consitas praediligit. Psiliasis impetigo est a morsu cimicum, et pulicum pendens, ex quo ulcuscula in cute emergunt. *Splechiasis* morbus nempe, in quo vermes in parenchimate alicuius organi, aut in cellulari textu sedem ponunt: *Gordius medinensis*, et *furia infernalis* eum excitare valent. Sulphurea balnea, suffitus ex cin-

nabari, unguenta hydrargyrica in universum hisce impetiginibus occurrunt.

XII.

Impetiginibus quoque accensenda vitia pilorum, ac capillorum, *cacotrichiae* dicta, quae varia nomina sortiuntur. Ita praecox capillorum canities *poliosis*; abnormis eorum vegetatio *pogonia*; morbosa vegetatio ut aegri coma leonis iubam referat *polytrichia*; tenuitas *leptotrichia*; spontaneum autem capillorum, aut pilorum in pluribus corporis partibus, vel in toto corpore defluvium *alopecia* dicitur.

XIII.

Princeps cacotrichiarum genus constituit morbus Polonis, et Sarmatis endemicus, Plica Polonica, ideo *trichoma* a graecis dictus, cuius praecipuum symptoma in capillorum singulari paedore et sorditie consistit, eorumque ex peculiari exsudante humore glomeratione, et ineffabili intertextu, unde in cirrhos, taenias, funiculos diversae figurae agglutinantur, concrescunt, ac revinciuntur.

Huius autem morbi historiam, aetiologiam, therapiam utpote nobis nisi nomine cogniti tacitos praeterire satius ducimus. Hosce morbos autem scite pro more suo tradit I. Frank.

XIV.

Postremam impetiginum classem constituunt sic dictae anomalae impetigines, quae modo primariae, modo symptomaticae sunt: ad has spectant *calli*, *rhagades*, *verrucae*, *condylomata*, vitia unguium *caconychiae* dictae, *maculae* nempe *curvaturae*, *tinea*, *mollities*; *lapsus* et *pterygium*.

XV.

Cum autem memorati morbi topica saepius sistant vitia cutanearum propaginum vel aliorum morborum sobolem, qui Chirurgicam opem exposcunt ac propterea ad Chirurgicam spectant provinciam vel ea therapeutica auxilia efflagitant quae primario morbo, a quo promanant, occurrunt, fusiorem ideo sermonem de ipsis ultro mittimus.

V. FANTOLINI Rev. Archiep.

V. BELLINGERI Praeses.

Imprimatur.

MALASPINA Moderator.

INDEX

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
2	22	efflorentiae	efflorescentiae
5	28	mechanico, tum mechanico	tum mechanico
7	26	pustulosa	pustulosa diducta
9	25	minori	a minori
17	6	exandescat	exardescat
20	9	emulantes	aemulantes
22	2	ullus-praegreditur	ulli praegrediuntur
22	7	miliares	miliaris
22	26	volubile,	volubile :
27	2	fauci	faucium,
39	11	rubidaei	rubi idaei
49	2	syptomata	symptomata
89	9	aegrotanti	aegrotantis
121	12	halitus	halitum
124	15	contingerint	contigerint
125	25	perfunctarie	perfunctorie
128	19	paulis peraspera	paulisper aspera
131	28	topicis	topicis praesidiis
134	4	species	species accedit
177	3	mentagrae	mentagra
185	16	coloris	coloris obtecta
189	2	nutricis ut	nutricis ; ut
192	18	decoctum	decoctum hauriatur